
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
1
31 -E
23
ROMA



THADDAEI DON

I. C. HISPELLATI

DE PATRI

SEX. AVR. PROPERTII PO

PERCVRIOSA DISSERTATIO.

In qua cùm nõnulla de Hispelli Antiquitate, tùm multa scitu digna enodantur, & emendantur.

Ad Illustrissimum, atquè Eccellentiss. Principem

DON THADDAEVM BARBERINVM

Sanctissimi D. N. VRBANI PAPAE VIII. Nepotem, &c.





FVLGINIAE, Apud Augustinum Alterium. MDCXXIX.

DD. Superiorum permissu.



ILLVSTRISSIMO, ATQVE EXCELLENTISS.
PRINCIPI

DON THADDAEO BARBERINO

SANCTISSIMI D. N. VRBANI PAPAE VIII
Nepoti, &c. DOMINO, ac Patrono suo

THADDAEVS DONNOLA

DEVOTVS ego immortalitati Nominis Sapientissimi MAPHAEI Cardinalis BARBERINI, nunc VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX. ab eo fermè tempore, quo Tu paruulus (Excellētissime Domine) ex DON CAROLO Sanctissimi PONT. germano, ac DONNA CONSTANTIA DE MAGALOTTIS genitus, fortunato THADDAEI Nomine in Illustrissima Familia restituto, non solū illi Decus, & Ornamentum, sed magnum Felicitatis, ac Perpetuitatis omen attulisti; nescio, quo abstrusi amoris incremento, propensionis in te meę



ſtudium in dies ita adoleſcere ſenſi; vt intimo quodam animi ſenſu, tuæ aſpectu perſonæ, vel fortuito vſquam in Vrbe obuiæ, ſemper gauderem vehementer. Vt vero ad Summi Apoſtolatus Apicem MAPHAEVM Patruum euectum, Nomenq. tuum Titulis inſignitum grandioribus vidi, lætatus ſum quam maximè; Tum maiora ſemper auſpicari non deſtiti; & quidem haud me mea fefellit præſagitio, animique voluntas propenſa. Mitto Maieſtatem VRBANI PONT. quo nil maius in toto Orbe Terrarum Princeps vna, præſtantiſſimaque ſuſpicit ROMA, in qua ſumma Hominum, atq. Rerum excellentia, Mitto CARDINALIVM Propinquorum Splendorem; ac Parentum Ampliſſimos Dignitatū gradus: Sanè iam Te VRBIS LEONINAE Gubernatorem, Te ADRIANAE MOLIS Præfectum, Te Pontificij Exercitus Ducem Strenuum omnes celebrant, colunt, proſequuntur; mox & Te maximis fortunis Virū prænūciamus; atq. ex Te vno, & Excellentiſſima Coniuge DONNA ANNA COLVMNA, & VRBI; & ORBI Proceres, DEO fauente, præſtolamur feliciſſimos; eumdemq. Te Herum, & Hæredem magnum, atq. amplius, quæ tuo ex Nomine iam diù reddidi Anagrāmata prædicunt, teſtantur, præſtabunt. Sicut verò diuturnam meam in primis in VRBE obſeruantiam erga S. D. N. VRBANVM, tum Cardinalem Antiſti-

tem

tem Spoletinum; & quondam Decij mei Fratris insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. LAVRENTII Hispelli ante me Prioris, in tota Vmbria cuncti norunt officij munus, & deuotionem. Ita & in Te reuerentis animi mei obsequium, scriptione hac (quam haud leui Ciuium, & Academicorum impulsu, & si nonnullis desideratis, nunc demum peregisse fas fuit) perpetuis literarum monumentis testatum volui. Exilis ea quidem; tuæque Amplitudini, studijsque non plane cohærens videri potest; ipsam tamen haud tibi vtiquè insuauem existimauerim, quippè qui non minus antiquitatis eruditione, quam humanioribus sis excultus, ac Philosophiæ, aliarumq. Virtutum laude ornatissimus. Cęterum (Excellentissime Princeps) DE PATRIA PROPERTII POETAE pro veritate, quam qui maximè scripsi; Scripsit & Iosephus Scaliger consultò, quem solum ex sua coniectura primò viderim; pleriq. alij simplici arbitratus assertione contenti; Tũ anno proximo latinorum Criticus Germanus in suis Paradoxis literarijs acriter in Scaligerum inuectus; mox Felix Ciattus Perusinus in Paradoxo, quod vernacula lingua Historicum dixit; Singuli in propriam iuere sententiam. Alij posthac si perquisitius, certè haud reor verius; atqui posterorum exinde hac de re persore censuerim iudiciũ rectius, suspicione præsertim,& inuidentia solutum.


interim

Interim enixè Te oro (Princeps Illustrissime) vt qua benignitate iam me excepisti, eadem tuearis; & Sactissimo D. N. VRBANO VIII. Illustrissimisq. Patruo Cardinali S. HONVPHRII, ac germanis tuis FRANCISCO BARBERINO Cardinali Magno ad Summos REGES nuper LEGATO; & ANTONIO BARBERINO proximè Cardinali Amplissimo renunciato, ac Genitori DON CAROLO S. R. E. CAP. GENERALI in dies reddas gratum summis precibus contendo. Diutissimè Nobis VRBANVM VIII. & Te, tuosq. omnes Immortalis seruet DEVS. Hispelli X. Kal. Augusti MDCXXIX.




PERILLVSTRIBVS DD. PRIORIBVS, ET CONSILIARIIS HISPELLI

THADDAEVS DONNOLA I. C. HISPELLAS F.



QVANTVM Patriæ debeamus, neminem plane latere existimo; quod cùm ipsa admoneat Natura; Tum Græcorum, & Latinorum sapientissimi literis tradiderunt; factaque Fortium vbicumq. Terrarum cómonstrant. Et cum inde Patria, quod communis sit parens, à qua tot Bona, vt vocant, Fortunæ; sanè decet, non solum caram esse Patriam Nobis; sed & toto conatu omnem pro ea nauare operam; omnibus enim, qui Patriam conseruarint, adiuuarint, auxerint, inquit, M. Tullius, certum esse in Cælo, ac definitum locum, vbi Beati æuo sempiterno fruantur. Verum Nos, qui veræ, sanctæq. fidei luce perfundimur clarissima, quam ardentiori studio, nobiliorisq. virtutis æmulatione id amplecti, & amare tenemur; cum vel motu cieri interiore (omnibus euim innatus est, & in animo quasi insculptus


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
1
31 -E
23
ROMA

THADDAEI DONN
I. C. HISPELLATI
DE PATRI
SEX. AVR. PROPERTII POE
PERCVRIOSA DISSERTATIO.


In qua cùm nōnulla de Hispelli Antiquitate, tùm multa scitu digna enodantur, & emendantur.

Ad Illustrissimum, atquè Eccellentiss. Principem

DON THADDAEVM BARBERINVM

Sanctissimi D. N. VRBANI PAPAE VIII. Nepotem, &c.





FVLGINIAE, Apud Augustinum Alterium. MDCXXIX.
DD. Superiorum permissu.

ILLVSTRISSIMO, ATQVE EXCELLENTISS.
PRINCIPI

DON THADDAEO BARBERINO

SANCTISSIMI D. N. VRBANI PAPAE VIII
Nepoti, &c. DOMINO, ac Patrono ſuo

THADDAEVS DONNOLA

DEVOTVS ego immortalitati Nominis Sapientiſſimi MAPHAEI Cardinalis BARBERINI, nunc VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX. ab eo fermè tempore, quò Tu paruulus (Excellẽtiſſime Domine) ex DON CAROLO Sanctiſſimi PONT. germano, ac DONNA CONSTANTIA DE MAGALOTTIS genitus, fortunato THADDAEI Nomine in Illuſtriſſima Familia reſtituto, non ſolũ illi Decus, & Ornamentum, ſed magnum Felicitatis, ac Perpetuitatis omen attuliſti; neſcio, quo abſtruſi amoris incremento, propenſionis in te meę

ſtudium in dies ita adoleſcere ſenſi; vt intimo quodam animi ſenſu, tuæ aſpectu perſonæ, vel fortuito vſquam in Vrbe obuiæ, ſemper gauderem vehementer. Vt vero ad Summi Apoſtolatus Apicem MAPHAEVM Patruum euectum, Nomenq. tuum Titulis inſignitum grandioribus vidi, lætatus ſum quam maximè; Tum maiora ſemper auſpicari non deſtiti; & quidem haud me mea fefellit præſagitio, animique voluntas propenſa. Mitto Maieſtatem VRBANI PONT. quo nil maius in toto Orbe Terrarum Princeps vna, præſtantiſſimaque ſuſpicit ROMA, in qua ſumma Hominum, atq. Rerum excellentia, Mitto CARDINALIVM Propinquorum Splendorem; ac Parentum Ampliſſimos Dignitatũ gradus: Sanè iam Te VRBIS LEONINAE Gubernatorem, Te ADRIANAE MOLIS Præfectum, Te Pontificij Exercitus Ducem Strenuum omnes celebrant, colunt, proſequuntur; mox & Te maximis fortunis Virũ prænũciamus; atq. ex Te vno, & Excellentiſſima Coniuge DONNA ANNA COLVMNA, & VRBI, & ORBI Proceres, DEO fauente, præſtolamur feliciſſimos; eumdemq. Te Herum, & Hæredem magnum, atq. amplius, quæ tuo ex Nomine iam diu reddidi Anagrãmata prædicunt, teſtantur, præſtabunt. Sicut verò diuturnam meam in primis in VRBE obſeruantiam erga S. D. N. VRBANVM, tum Cardinalem Antiſti-

tem

tem Spoletinum; & quondam Decij mei Fratris insignis Collegiatæ Ecclesiæ S. LAVRENTII Hispelli ante me Prioris, in tota Vmbria cuncti norunt officij munus, & deuotionem. Ita & in Te reuerentis animi mei obsequium, scriptione hac (quam haud leui Ciuium, & Academicorum impulsu, & si nonnullis desideratis, nunc demum peregisse fas fuit) perpetuis literarum monumentis testatum volui. Exilis ea quidem; tuæque Amplitudini, studijsque non plane cohærens videri potest; ipsam tamen haud tibi vtiquè insuauem existimauerim, quippè qui non minus antiquitatis eruditione, quam humanioribus sis excultus, ac Philosophiæ, aliarumq. Virtutum laude ornatissimus. Cęterum (Excellentissime Princeps) DE PATRIA PROPERTII POETAE pro veritate, quam qui maximè scripsi; Scripsit & Iosephus Scaliger consultò, quem solum ex sua coniectura primò viderim; pleriq. alij simplici arbitratus assertione contenti; Tū anno proximo latinorum Criticus Germanus in suis Paradoxis literarijs acriter in Scaligerum inuectus; mox Felix Ciattus Perusinus in Paradoxo, quod vernacula lingua Historicum dixit; Singuli in propriam iuere sententiam. Alij posthac si perquisitius, certè haud reor verius; atqui posterorum exinde hac de re persore censuerim iudiciū rectius, suspicione præsertim, & inuidentia solutum.

interim

Interim enixè Te oro (Princeps Illustrissime) vt qua benignitate iam me excepisti, eadem tuearis; & Sactissimo D. N. VRBANO VIII. Illustrissimisq. Patruo Cardinali S. HONVPHRII, ac germanis tuis FRANCISCO BARBERINO Cardinali Magno ad Summos REGES nuper LEGATO; & ANTONIO BARBERINO proximè Cardinali Amplissimo renunciato, ac Genitori DON CAROLO S. R. E. CAP. GENERALI in dies reddas gratum summis precibus contendo. Diutissimè Nobis VRBANVM VIII. & Te, tuosq. omnes Immortalis seruet DEVS. Hispelli X. Kal. Augusti MDCXXIX.



PERILLVSTRIBVS DD. PRIORIBVS, ET CONSILIARIIS HISPELLI

THADDAEVS DONNOLA I. C. HISPELLAS F.



VANTVM Patriæ debeamus, neminem planè latere existimo; quod cùm ipsa admoneat Natura; Tum Græcorum, & Latinorum sapientissimi literis tradiderunt; factaque Fortium vbicumq. Terrarum cõmonstrant. Et cùm inde Patria, quod communis sit parens, à qua tot Bona, vt vocant, Fortunæ; sanè decet, non solum caram esse Patriam Nobis; sed & toto conatu omnem pro ea nauare operam; omnibus enim, qui Patriam conseruarint, adiuuarint, auxerint, inquit, M. Tullius, certum esse in Cælo, ac definitum locum, vbi Beati æuo sempiterno fruantur. Verum Nos, qui veræ, sanctæq. fidei luce perfundimur clarissima, quam ardentiori studio, nobiliorisq. virtutis æmulatione id amplecti, & amare tenemur; cum vel motu cieri interiore (omnibus enim innatus est, & in animo quasi


insculptus

insculptus Patriæ Amor) haud coniuere valeamus? Hisce ego mentis sensibus in mea Tractatione De Loco Martyrij S. FELICIS Episcopi Spellatensis Anno MDCXX. Felicibus vestris euulgata auspicijs, nonnihil de Hispelli antiquitate attigi; deq. nostri Propertij Poetæ laribus duo subnexui Epigrammata; queis plerique Ciuium, & Academicorum magis pellecti, identidem ab illis rogatus, quin & vestris flagitatus verbis, cùm de Propertio, tùm de antiquitate seorsum congruens fuit exarare sermonem: lubentem vero adieci animum; non eo tantum, quod mihi, dum in Vrbe (alijs deinceps ad Virtutes aculeus) in lapidea Tabula Illustri, Aureoq. inciso Titulo Consilij Aulæ postero anno affixa, perpetuum (pro vestra benignitate) tribuistis honorem; Verum, quod vestrum omnium, atq. Academicorum obsequi studio, ad Patriæ dignitatem omnino putauerim debuisse. Quapropter Scriptionem hanc (altera, vernacula lingua instituta, in aliud reiecta tempus) & si arduam in primis, ac molestam, multiplicisq. operosam argumenti; pro mea tamen parte, vel alijs, vt nostis plurimũ distentus, profero; Eamq. Illustrissimo, atq. Excellentissimo Principi DON THADDAEO BARBERINO S. D. N. VRBANI PAPAE VIII. Nepoti, qui & hanc nostram, ac Propertij Patriam suo quandoq. decorauit aspectu, nuncupaui; ratus
ingent

ingenti vestro, & Academicorum gaudio, totiusq. Populi Hispellatis lætitia fore accipiendam, amplectendam, propugnandam; Valete.



 QVOD



QVOD Nomina MAPHAEI Card. BARBERINI nunc VRBANI PAPAE VIII. felici auſpicio Inſignibus reſpondeant

Thaddæus Donnola deuotus Numini, Maieſtatiq. eius æquis Anagrãmatibus ante Pontificatum dixit.

Anagramma

MAPHAEVS BARBERINVS
APES RVBRI MANV HABES

Quam bene APES, MAPHAEE ſacer, tua tẽpora cingũt,
Dantque Oſtrum meritum; mox tibi, & Imperium.

Aliud

MAPHAEVS CARDINALIS BARBERINVS
HA RARA ES APIS VRBI NVNC MEL DABIS.

HA quam RARA ES APIS; MAPHAEE, ex millibus; Vnus
Tu VRBI, atq. Orbi NVNC paſcua, MELque DABIS.

Ad

De Illustrissimo, atq; Excellentissimo D.

DON THADAEO BARBERINO
VRBANI VIII. PONT. OPT. MAX.
NEPOTE

THADAEI DONNOLAE
Anagrammata.

THADAEVS BARBERINVS

HERVS AERIS ABVNDAT

VRBANVS HAERES DABIT

NARDVS AB AETHERIBVS

VRBIS AETHRA BEANDVS

Respondent magna omnibus, maioraque magnis
THADAEO in Magno Nomina secta notant.
Hic HERVS, hic HAERES, CAROLIque excelsa propago,
Hinc VRBI, hinc ORBI mox Decora, & Proceres.

STEPHANI ANGELOTTI CANONICI
olim Seminarij Hispellatis Præfecti
Ad Hispolam Vrbem

Hispola dum resonas facundo Vrbs ore Properti,
MAVRIque exculto Carmine nota manes,
Dum tuus Antiqui renouat cunabula Vatis
Scriptor, & ereptum DONNOLA restituit.
Dicito, grandiloquis fama memoratus in oris
Nunc sibi honor quãtus! quantus & ille mihi!

EIVSDEM

Felix Hispellum eloquio felicius eius,
Qui tua propugnat, qui tua restituit.

FRANCISCI MARIAE MAROCHII
HISPELLATIS
Ad Lectorem

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo,
Statq. Venusino Patria, statq. alijs,
Mæonidis certant Vrbes natalia septem,
PROPERTVM plures; quæq. suum repetit,
Sat lis finẽ habet, Hispello nam Donnola adeptũ
SEXTVM dat Nobis. Perlege, certus eris.

FELICIS CACIOTTAE HISPELLATIS

Ingenium Phœbus; magnũ dant Carmina nomẽ
SEXTO; at verã illi DONNOLA dat Patriã.

Ad Perillustrem

Ad Perilluſtrem D.I.V. Doctorem Thaddæum Donnolam Ex Acad. Quiet.

Hieronymi Florauantis I. V. D. Hiſpellatis Quietorum Academiæ Principis

Epigramma

DONNOLA, qui renouas Antiqui. Nomina Vatis
Noſtri, nec Patriam conticuiſſe ſinis;
Quis ſciet ex Te, quà rorat Meuania Campo,
Quà ſaliens axis, quà tepet Vnda lacus;
Quaue altæ HISPELLI ſurgunt de Vallibus Arces,
Notior & Murus Vatis ab ingenio.
Aſſiſium ſileat; iaceat Meuania; Scandens
HISPELLVM Patria eſt;DNNOLA recte doces.

Bartholomæi Tortoletti Veronenſis Sac. Theol. Doct.

Donnola,Te Patriæ abſtulerat pulcherrima Roma,
Non fers, & Matri redderis ipſe tuæ;
Nec ſat; reſtituis Nomen, Stirpemq; PROPERTI,
Vt magis in Patriam Fulgere poſſit amor;
Sic per Te Hiſpellum recipit (duo luimina) Ciues,
Ille fuit Myſtis Cypridis; ipſe Dei.

AD HISPELLVM

Io: Baptistæ Lallij I. C. Nursini

AD tua iam redijt repetita Cunabula Vates,
Qui tibi iam duplici funere raptus erat.
DONDVLVS, en caræ reddit sua Iura Parenti,
Nec sinit externa contumuletur humo,
Iste diù insudans studijs, reuoluta recenset
Sæcula; lethæas iste retorquet aquas.
Pro Patria iste diù pugnans, obstantia quæq.
Magnanima tandem contudit arma manu;
Perpetuo rapti caruisses munere nati,
Ni nouus Alcides sponte tulisset opem.



CANZONE
DEL SIG. GIO: BATTISTA LALLI.

DA la sua terza sfera
L'alta amorosa stella,
DONDOLA, scede à i tuoi sublimi accēti.
Stan gli amoretti intenti
Al dolcissimo suono in lunga schiera;
E secondando anch'ella
Il tuo pregiato stil, così fauella.

SPELLO, per cui souente
Paso, Amatunta, e Gnido,
E'l mio diletto Cipro hebbi men caro.
Bel Poggio in cui versaro
I Cieli i doni lor sì largamente.
Porto mio caro, e fido,
E de le Gratie elette albergo, e nido.

Ben con ragion ti pregi,
Che dal tuo sen disceso
Sia di Permesso il più famoso Cigno.
Non può destin maligno
Adombrare, e rapir tuoi doni egregi.
Di questo zelo acceso
Vn, pur tuo figlio, hà l'honor tuo difeso.

Miral

Miral come ben l'hasta
Di Minerua egli impugna,
E'n tuo fauore intrepido s'accampa:
Di quanta fiamma auampa
Nel nobil volto, ed à ciascun sourasta,
Come con graue pugna
Ogni macchina auuersa al fine espugna.

Mà se più chiare proue
N'attendi, e forse hai caro,
Dopò'l terreno, vn testimon celeste;
Sappi, ch'io stessa in queste
Piagge produssi il gran Nepote à Gioue:
Qui nacque, e qui alleuaro
Le stesse Gratie mie Cigno sì raro.

Io ch'all'hora inuaghita
Vagheggiando trascorsi
I tuoi fioriti, e pampinosi colli;
Lasciare ancor ti volli
Quella del grembo mio Prole gradita.
Chi vorrà dunque opporsi,
S'io stessa il caro Alunno in don ti porsi?

All'

All'hor, quel ch'hora serbi,
E d'onde traggi il nome,
Ti lasciai SPEGLIO cristallino, e vago;
Con cui la propria imago
I vagheggiaua, e i pregi miei superbi,
Et apprendeua come
Compor douessi il volto, ornar le chiome.

Di PROPERTIO hor lo stile
Osserua, e'l bel tenore,
Il dir giocondo, e l'amorose note.
Ben dirai, che non puote
Non esser mio, s'è tanto à me simile;
S'ei scopre frà'l suo ardore
Vener per Madre, e per Germano Amore.

Hor s'è mio, s'io'l ti diedi,
Godi il mio dono in pace,
E chi'l ti rese, co' suoi scritti, honora.
Le tue contrade infiora
Hor che perduta gemma al fin possiedi.
Già si dilegua, e sface
Al tuo nuouo splendor fama mendace.

Desine Meuanas tandem iactare celebri
  Te de Romano desine Callimacho,
Altisono cuius celebrata poemate formæ
  Cynthia præstantis blanda puella fuit.
Verius Hispellas tanto lætetur alumno,
  Vatemque egregium tollat ad astra suum.
Assisium sileat; roret Meuania Campo,
  Hispellum surgat Vallibus è medijs;
DONNOLA tu ille doces; te non veracior alter,
  Romani Vrbs genitrix Hispola Callimachi est:
Nunc per te Patriæ veteres reddantur honores,
  Et per te Scriptor quisq recantet opus.

Monaldi de Monaldis
I. C. Hispellatis

Quam benè de Patria Thaddæe facunde Properti
  Disseris; & Vatem quam benè tu reuocas!
Iam fermè exciderat; redijt; tenet Hispola nũc Vrbs,
  Gratatur reduci; nec timet inde abeat:
Hinc Patriæ splẽdor nostræ, atq. hinc gloria maior
  Vati; & per te vnum, maius vtriq. Decus.

Del

DEL SIG. MICHELANGELO IACOBILLI

Da Foligno.

SE Smirna, Salamina, Atene, e Chio,
Rodi, Argo, e l'altra gareggiar per vanto
D'esser Patria d'Omero, al cui gran canto
S'inchinaro le Muse, e'l biondo Dio.

Così di gareggiare hanno desio
Più Popoli de gli Vmbri, e tenta in tanto
Ciascuno hauere il gran PROPERZIO à canto
Per suo compatriota, e suo natio.

Or chi fia trà le gare Arbitro eletto?
Chi da gl'inuogli cauerà del Tempo
La Veritate in vestir puro, e schietto?

Tu sol, DONNOLA, sei; tu squarci al Tempo
Le bende, e mostri bene alto intelletto
In questi fogli tuoi, scorni del Tempo.

DEL SIG. FRANCESCO CIROCCHI DA FOLIGNO.

MENTRE la penna tua fuga gli errori,
Mentre s'erge sublime vnica à volo,
Nè teme d'auuersarij il folto stuolo;
DONNOLA tè, non men, che SPELLO onori.

A tè gemina Palma, e doppi Allori
Intesse il Patrio auuenturoso suolo,
Che di FELICE, il suo Pastor, non solo,
Ma di PROPERTIO, il nobil Colle infiori.

Scarso à tanto valor, Lapide aurata
Fia testimonio; e culti incisi carmi,
Ch'à tè la Patria estolle, e lieta, e grata.

Poiche di glorie onusta vdirla parmi
Che dica. A quella inuitta destra armata
Colossi appresto di metalli, e marmi.

Del P.

DEL P. DIONISIO BRANCATI
Dal Borgo S. Sep.

CHi mai potea cotanto
Donnola chi? con sì pregiato inchioſtro
Scourir la Patria di quel raro moſtro,
Di quel Propertio illuſtre,
Se non tua penna induſtre?
Hor mentre dunque tanto
Auuiui al tuo bel SPELLO
Splendor; Egli ſia quello,
Che con più ricchi honori
Fregi grato al tuo fronte eterni allori.

HONVFRII MATTHII CANONICI
S. Mariæ Maioris Hiſpelli
Acad. Quieti.

Abreperant aliqui te Ciuem SEXTE PROPERTI
HISPELLI; inde ſimul te rapuere alij:
DONNOLA, ſeruaſti Ciuem; nunc Ciue recepto
Ciuica te Ciuem digna Corona manet.

THOMAE FARINATAE I. C. HISPELLATIS
Ad Propertium.

Diceris à multis Meuanas SEXTE PROPERTI,
Diceris Assisias, iamq. Amerinus eras:
Vettonium quidam, Trebiam, Mõtemq. Faliscum,
Fulgineumq alij te genuisse ferunt.
Prodeat ex te ipso constans sententia; scandens
HISPELLVM Patria è Vallibus vna mihi est.

Ad eumdem

HIERONYMI SFORTIAE I.C. HISPELLATIS
Acad. Quieti.

Qui fit, quod Patriam retices perblande Properti,
Atq. hærere omnes efficis ore tuo?
Ah' minimè; quà rorat, aio, Meuania Campo,
Hicq. soli patrij tangitur ora mei;
Atq. hinc scandentes cernes de Vallibus arces,
Murumq. alti axis culmen adire sui.
Planius Hispellum potui num effingere? cuncta
Perlege, mox reddet DONNOLA certa tibi.


Pauli

PAVLI ANGELINI I. C. HISPELLATIS
Acad. Quieti

Ad Auctorem.

Qui fuerat quondam Parnasside clarus in aula,
Cui semper primas compta Elegia dedit,
Quod multis dubia tellure Propertius ortus,
Hispellum Patriam non retulisse dolet:
Donnola tu ipse aperis, veterumq. ad tecta penatũ
Tu reuocas Vatem; sistere tuq. facis.
Sic per te Hispellum clarescit maximè nostrum,
Amplius eloquio claret & ille tuo.

MICHAELIS CIANCES TREBIATIS
Hispelli ludi literarij Præfecti.



En tua te reuocant veteres ad Tecta Penates
Ire per externos Sexte coacte lares.
Hispellum rediens fugitiuos comprime gressus,
Sed qua defunctus lege redire potes?
Fallimur, oblongo nimium non occidit æuo,
In te Sextus enim Donnola viuit adhuc.

Eiusdem

EIVSDEM MICHAELIS CIANCES

Propertius ad Auctorem.

Quid tam multiplices ſcrutari carmine cauſas,
Donnola, quid varios exprimis arte modos?
Vt me cognata genitum fateatur ab Vrbe
Orbis nempe tuum ſat probat eloquium.

IO: FRANCISCI MERCVRILLII HISPELLATIS

Acad. Quieti.

Phæbus vt exoriens colluſtrat lampade terras,
Et defert clarum per iuga ſumma diem;
Sic veterem nobis cum reddis Donnola Vatem
Lumine præfulgent Hiſpola tecta tuo.
Quas tibi noſtra æquas referet nunc Patria grates
Ciue à te tanto læta ſuo reduce?
Viuas, it clamor; ſuperes tu Neſtoris annos,
Et reſonet toto nomen in Orbe tuum.

Felicis

FELICIS CIANI HISPELLATIS

Ad Lectorem.

Ambigis? haud fas est; quæris? lege; Donnola Sexti
De Patria certum te facit, atq. tenet.

CAROLI LAMPARELLI HISPELLATIS

Acad. Quieti.

Cedite vos, qui de laribus certare Properti
Haud finitis; nostrum Donnola noster ait.
Hispelle exulta, est tibi nunc reuocatus alumnus,
Tu THADDAEE magis; gloria vtriusq. tua est.

VICTORII DIAMANTIS HISPELLATIS

Acad. Quieti.

Callimachi cultor Romani DONNOLA laudum,
Clarus tu Patriæ es, dum tibi cessit; honor.
Sat nebulosa suo roret Meuania Campo,
Hispellum scandens est genitale solum.
Donnola vos firmat; gaudete Hispelle, Properti,
Posthac vos nullus dissociare valet.

Acad. Quieti.

Qui patrium Vatem renouasti Donnola, vt olim
FELICIS nostri fortia facta Patris.
Te duo Serta manent, gemino nectentq. decore,
Qui Patriæ ereptum reddis vtrumq. decus.
DIVE tibi sacrum Thaddæum suscipe FELIX,
Et tecum meritis insere Cælitibus.

FRANCISCI LEONINI HISPELLATIS

Acad. Quieti.

Meuanas olim, Assisias tum, mox Amerinus,
Tum Trebias SEXTVS, nunc Perusinus item.
His rapuisse nephas illum; at tibi Donnola fas est
Hispello Patriæ restituisse suæ;

CAROLI MAVRI HISPELLATIS


Acad. Quieti.

Vates quæq; Vrbes tulerint sibi quosq. Propertum,
Maurumq. Hispello; sat genuisse Decus.

De patria



DE PATRIA
PROPERTII POETAE
PERCVRIOSA DISSERTATIO
THADDAEI DONNOLAE I.C. HISPELLATIS
Academici Quieti.





EXTVS Aurelius Propertius Vates Clarissimus ante D. N. IESV Christi Natalis Diem, vel nec ita multo post, Romæ Octauiano Augusto floruit; & in scribendis Elegijs præstantioris linguæ nitore Nominis celebritatem breui adeptus, peruenit ad eiusdem Cæsaris commendationem; promeruit & Mecænatem splendidissimum Equitem, Eruditorum

id temporis in Vrbe singulare præsidium; maxime acceptus fuit Tullo haud dubie Romanorum nobilissimo Asiæ Proconsuli tum renunciato; vnaque amicus Cornelio Gallo, seu cuius in laudem Virgilius decimam scripsit Eclogam; de quo Eusebius in Chronicis ad Olympiadem 187. seu vt alij malunt, aliumq. ab eo faciunt, quem Augustus AEgipti Præfectura insigniuit; seu alteri cuipiam; eius enim nominis, quatuor eodem tempore fuisse memorantur. Ijs plures, Tulloque amplius principem, postremamque libri primi reddidit elegias; vt à Tullo exorsus, & in eo definiens, ipsi addictum Opus videatur Philippo Beroaldo in commentario, & Ioanni Passeratio in Prælectionibus ad ipsum Poetam. Quod vero Tullus inscius, cuiatem se Poetam diceret, frequens ab eo contendit, vt quanti consuetudinem facit; Natalem proferre Sedem, ac Penates haud diutius remoretur. Propertius breui Elegia, seu Epigrammate rescripsit: Atqui solum compellare patrium nominatim nequaquam ei libitum fuisse liquet; quod quidem ansã illud exquirendi, scrutandique percuriosam præbuit, simulque operosam posteritati adiecit: Per hæc enim tempora haud minore negocio percipi posse crediderim, quæ de Patria Propertij

Poetæ

Poetæ deinceps ipsum Tullum, aliosque Romanos, ac illi notos, & beneuolos à mente tum minime fugisse existimandum est.

Et quemadmodum de Homero (quod Patriam nusquã retulerit) plurium præclarissimarũ Græcarũ Vrbium Ciues inter se dissidentes; singuli Ciuem suum natũ contendebant. Homerum (inquit Cicero pro Archia) Colophonij Ciuem esse dicunt suũ; Chij suum vendicant; Salaminij repetunt; Smirnæi vero suũ esse confirmant; Permulti alij prætetea pugnant inter se. Et Aul. Gellius Lib. 3. Cap. XI. Noct. Attic. Alij Colophoniũ; alij Smyrnæũ; sunt qui Atheniensem; sunt qui Aegyptiũ dicunt fuisse. tũ græcos subdit versus, qui latine

Septem Vrbes certant de stirpe insignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius, Argus, Athenæ.

Atque adeo dissensum est, vt etiam Vmbræ (Plinio lib. 30. cap. 2. nat. hist.) ad id percunctandum fuerint euocatæ.

Ita ferme & in Vmbria Italię Prouincia omnium antiquissima, plures inter Ciuitates, & Opida non absimilis de Propertij Poetæ Patria æmulatio, dissentioque vigere pernoscitur; nempe inter Ameriam, Fulginiam, Assisium, Hispellum, Trebiam, Meuaniam, Montefalchium, & Vettoniũ; addita est nuper & Perusia; singuli Ciues

Ciuem ſuũ,& Alumnum Propertium aſſerentes.

Cæterum liquet ob præſtantiſſima Ingenij monumenta Homerum ita ambitum, vt non pigeat (quod oblectationi omnibus,& ad gloriam aculeus) incredibilium ſuarum laudum nonnihil afferre.

Et licet Iliadis, & Odiſſeæ opus tot ſæculis verſatum manibus, omnia omnium ſcripta Poeſeos cum illo citra diſcrimen non conferenda, Neotericorum aliqui inſectari videantur,quibus Ouidianum illud opprobrandum.

Ingenium magni liuor detrectat Homeri,
Quiſquis es ex illo Zoile nomen habes.

Sapientes tamen Athenienſes Homeri Poemata quanti fecerint, quamque vtilia ad inflãmandos honeſtatis, ac dignitatis amore animos iudicauerint; hinc exiſtimari licet, inquit Muretus lib. 6. variarũ lect. cap. 6. **Quod legem tulerunt, vt quinto quoq. Anno in Panathenæis eius vnius ex omni Poetarum numero Carmina publice canerentur.**

Itemque Veterum doctiſſimi certatim Homerum cum Poetarum inclytiſſimum, & Principem litterarum, primumque doctrinarum omnium, & antiquitatis parentem, Auctoremque optimum; tum ingenij cæleſtis Vatem, ac præ cæteris diuinum

num; Fontemq. ingeniorum enunciantes, miris huiuscemodi extulere laudibus; vt vel in libris Digestorum ex antiquis Iurisconsultis quidam non iniuria suas sententias Homeri auctoritate firmandas censuerint; quemadmodum obseruauit Bar. Cassanæus, P. Pratelus, & alij Iuris Professores.

Quin & Iustinianus Imperator in calce Proemij Pandectarum, quibus leges, infinitis propemodũ voluminibus antea dispersas in quinquaginta digessit libros, Homerum omnis Virtutis Parentem promulgauit. Et iam dudum Alexãder Magnus inter amplas Darij Persarum Regis exuuias aureo Vnguentorum Scrinio radiantibus gemmis inuento, varios eius vsus amicis demonstrãtibus; Immo Hercle, inquit, librorum Homeri præciosissimum humani animi opus custodiæ detur, Plinio lib. 7. cap. 29. nat. hist.

Accedit insolens illud, & inauditum de priuato homuncolo, Homero, vt pro Deo habitus sit; cui & Templa dicata, Strabone lib. 14. Quod iam pridem M. Tullius innuit loco cit. pro Archia; itaque Delubrum eius in Opido dedicauerunt; idemq. apud Smyrnæos illi fuisse traditur.

Tot vero insignibus, vnum Vellæi Paterculi ad initiũ Romanæ Histori; encomiũ libet ascripsisse.

Cla-

Clarissimum deinde (inquit) Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum, qui magnitudine operis, & fulgore Carminum solus appellari Poeta meruit; In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neq. post illum, qui eum imitari possit inuentus est; neq. quempiam alium, cuius operis primus auctor fuerit in eo perfectissimum præter Homerum, & Archilochum reperiemus.

Porro & ab ipsis Sophorum Coriphæis, Platone, & Aristotele probatus, Poetarumque Princeps renunciatus; cæteris quoq. antiquior (Aul. Gellio lib. 17. cap. 21.) agnitus est; siue quod Salomone Rege planuerit ex Card. Bellarmino sanctæ memoriæ in notis Chronologiæ, siue multis ante sæculis; eodem Vellæio subdente. Hic longius à temporibus Belli, quod composuit Troici, quam quidam rentur abfuit; Nam ferme ante annos DCCCCI, floruit, intra mille, natus est; Troia vero, eodem Bellarmino euersa est Anno Mundi 2821. Quid plura? vel ipsius prodeat Propertij sententia lib. 2. eleg. 35.

Cedite Romani scriptores; cedite Graij,
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Sit pro Coronide. Vrbini, in Musæo ornatiore; cum multis, tum illi Federicus Dux. Homero Smyrnæo, cuius Poesin ob diuinam disciplinarū varietatem, omnis ætas admirata est; assequutus nemo post: Gratitudo Pos. (lib. 3. monumentorum Italiæ.)

Si etiam ampliora; Præfationem Angeli Politiani

in

in ipsum Homerum singula pene exequentis cólsulas; Vbi denique nihil esse, inquit, à posterioribus præceptum, quod non ille in operibus suis tanto ante consummauerit. Tandē in Io Insula Homerum obijsse Dionysij Halicarnassei, Strabonis, Plutarchi & Suidæ testimonio traditur; eiusque Tumulo Epigramma inscriptum apud eumdem Suidam videris.

Consimili iure Propertium Poetam pluriū Vmbriç Opidorum Ciues sibi, vt suum vendicant, repetunt, propugnant.

Sane eruditissimorum Virorum suffragijs, potissimumq. Iusti Lipsij (qui summatum vnus in humanioribus) Propertius omnium elegantissimus edicitur, & percensetur. Idcircò dolenter admodum tulit, nullum esse inter latinos Poetam, qui ad posteritatem illo deprauatior peruenerit, aut corruptior. Quamobrem asserere ausus est, ita multa eius loca manca, & mutila, multa extranea, & aliena, integri etiam nonnunquam versus in alium locum imperite inserti; vix vt duas, aut tres Elegias ab omni parte præstare vni posse confidat incorruptas, & integras; illudq. vnum in primis sibi dolori fuisse prodit; Cum in reliquis Auctoribus pristinæ dignitati restituendis tot acerrimorum hominum sua ætate laborauerint

rint ingenia; Propertio, qui opem aliquam afferre conatus sit, vidisse neminem; Muretum vnũ excipit, & hic quidem, ait, rei difficultate deterritus vix attigit; Ita Petrum Victorium, & hactenus eruditos alios à Propertio tanquam à scopulo aliquo refugisse testatus est Lipsius.

Porro Muretus in Epistola ad Franciscum Gonzagã Ferdinandi Filium cui Scholia in ipsum Poetam; de Tibulli, & Propertij comparatione in hæc verba disseruit.

Non iniuria dubitatum est à Veteribus; Tibullo ne, an Propertio deferendus esset inter Latinos Poetas Elegiæ scribendæ principatus. Nam vt insunt in vtroq; permulta, quę eos vulgarium numero exemptos in edito atq. eminenti statuāt loco; Sic propriæ quædam extant, & elucent in vtroq. virtutes, quibus vterque alterius palmam ambiguam facere videatur. Summa in Tibullo eloquutionis elegantia, & proprietas. Summa in Propertio eruditionis Poeticæ copia, & varietas; In illo Romana prope omnia; in hoc pleraquè transmarina; illum natiua quædam, & incorrupta Romani Sermonis integritas in media Vrbe natum, & altum esse perspicue ostendit; Hunc præter cætera, forma, & character ipse dicendi in Græcorum Poetarum scriptis assiduissime versatum esse demonstrat.

Tum subdit.

Sed hęc vt sunt; neque nostrum est, neque cuiuspiam hominis pudentis, & considerati (qua de re Veteres illi, quorum fuit & doctrina maior, & iudicium acrius, non liquere pronunciarunt) de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare.

Propertius vero Elegiaci Carminis principem se agno-

agnoſcens; Muſam amatoriam & à ſe natam, & triumphare cecinit Curru Triumphali, in quo cupidines ſecum pariter vectentur, & Poetæ ſubſequantur; ſuæque vaticinatur famæ celebritatem, ac perpetuitatem eleg. prima lib. 3.

Primus ego ingredior puro de fonte Sacerdos
Itala per Graios Orgia ferre Choros.
Dicite quo pariter carmen tenuaſtis in antro,
Quouè pede ingreſſi, quamuè bibiſtis aquam,
Ah valeat Phæbum quicumq moratus in armis
Exactus tenui pumice verſus eat;
Quo me fama leuat terra ſublimis, & à me
Nata coronatis Muſa triumphat equis,
Et mecum in curru parui vectentnr Amores,
Scriptorumque meas turba ſequuta rotas.

Tum infra.

At mihi quod viuo detraxerit inuida turba
Poſt obitum duplici fænore reddet honos,
Omnia poſt obitum fingit maiora vetuſtas,
Maius ab exequijs nomen in ora venit.

Cæterum vt de Propertij præſtantia, vel ex alijs aliquid conijcere liceat, Iulij Cęſaris Scaligeri, & Iuſti Lipſij ſummi ingenij, atque reconditę eruditionis virorum ſcripta, paucis abſuluta profeſeramus.

Iul. Cæſar Scaliger lib. 6. Poetices, qui & Hypercriticus cap. 7. Sic. Omnium vero cultiſſimus, nec redundans in Elegia Propertius facilis, candidus vere Elegia-

E cus

cus, tersior tamen quam existimatus est à Criticis: Nam & amat quædam, quæ minime sunt vulgaria; & quibusdam locis paucorum iudicium sequutus videtur; Nam & principium operis tum elegans est; tum compositum; In primo tamen libro apparet ambitio quædam claudendi pentametrum multisyllabis, qui numerus mollior iudicatus est etiam in Iambicis.

Et Paulo post.

Sequitur vero Corinnę consilium, quod illa Pindaro dederat, ne sine fabulis Poemata conderentur; Esse namq. illorum animam; inculcat igitur quantum potest. Cæterum cum ea omnia iam sint vulgata, nostrum Poetam vehementer tum ab ipsis, tum ab ignotis abstinere iubeo. Pro his igitur sententię sunto dulces, luculentæ, non languidæ, non affectatæ, non minus frequentes.

Lipsius vero Lib. 2. Cap. X. Lectionum Antiquarum, concise magis, sic Propertium, qui non amat, eum profecto Musę non amant; tanta eius versuum suauitas est; vt quemadmodum Comicus ille ait, nil nisi mulsa loqui videatur; Tanta eruditio, vt non nisi Phæbo dictante credamus exceptos.

Et lib. 3. cap. 7.

Varia est in Propertio, & recondita eruditio, & pręter sententiarum elegantiam, & acumen, multa in verbis quoque ipsis quæ notatione, & laude dignentur.

Et lib. 4. cap. XI. earumdem Antiq. Lect.

Venio, inquit, ad Propertium ocellum, & vt sic dicã, Smaragdũ Poetarum; E cuius libro primo carptim quædã delibitabo.

Tum variarum lect. lib. 1. cap. 4. Mel, & Deliciæ meæ Propertius. & lib. 2. cap. 25. idẽ Lipsius. Deplorare merito mihi liceret in Propertio eruditissimo, & vno omnium Elegantissimo Poeta tot locorum vel obscuritatẽ, vel deprauationem verius; si id vnius Propertij esset pro-

prium;

prium; ac non ei cum optimo, & vetustissimo quoque scriptore commune.

Addas Adrianum Turnebum Lib. 11. Cap. 15.

Tanta Versuum Propertij iucunditas, & amænitas, vt eos dictantibus Gratijs à Poeta exceptos censeas: Beata in illo, & candida Ingenij vena. Et lib. 29. cap. 30. lepidissimus, & nitidissimus Poeta Propertius.

Item Franciscum Modium, Var. Lect. Epist. 18.

Propertius sui generis extra controuersiam Poetarum Princeps.

Item Lucam Fruterium, Var. Lect. Lib. 1. Cap. 15.

Propertium vere Transmarinam Venerem appellare possumus, cum propter varia in eo à Græcis translata dicendi genera; tũ etiã propter quasdã & audaces, & proprias sibi phrases, quas in alio Poeta haud temere reperias.

Hæc Propertio laudi data, & si tanta, vt prope nihil supra; Non tamen prætermittenda sunt, quæ longe ante Lipsium, Anno circiter 1470. Philippus Beroaldus vtriusque linguæ peritissimus; Rethorum, atq. Oratorum sui sæculi princeps, literarumq. ingenuarum primo Bononiæ, mox Parma, deinde in celeberrimo Parisiorum Gymnasio; tum iterum in patrio Bononiensi Professor, in Commentario ad ipsum Poetam sic concinnauit.

Elegiam apud Græcos multi scripsere præclare; quorum princeps habetur Callimachus; secundas confessione plurimorum Philetas occupauit. Apud Latinos Elegiæ scriptores complusculi floruerunt; Ex quibus tersus, atq. elegans maxime videtur Quintiliano, Tibullus, Ouidium lasciuire existimãti. Consensus plurimorum palmam dat Sexto Propertio; qui

grauitate sententiarum pondere verborum, eruditione minime triuiali haud dubie est eminentissimus; idem ardens, concitatus, & interdum supra Elegiacum stylum grandiloquus. Amat, vt qui verissime, dolet, vt qui impatientissime. Græcorum, & in primis Callimachi exprimit æmulationes; quo vno præcipue est vsus Archetypo. Vnde nõ minus vere, quam eleganter se Romanum Callimachum appellat.

Tum paucis interiectis. Hic vnus omnium affectiones cupidineas apte, miseranter, lachrymose inflãmater prosequutus est. Hostiam puellã, quã effiictim deperijt, sub nomine Cynthiæ versibus illustrauit; sicut Catullus Lesbiam, & Tibullus Deliam pro Planca nominataucrunt.

Hoc postremum speciatim reputans Domitius Calderinus in Commentario. Monobiblos, inquit, Propertij Carmen inscribitur, qui ardentissime amauit Hostiam ficto nomine appellatam Cynthiam. Nonnullorum iudicio primas tenet partes in Carmine Elegiaco; Auctore Quintiliano; Nam amoris affectus, præsertim, qui ardentiores sunt, melius expressit nemo.

Item & Franciscus Alumnus in sua Mundi Fabrica numero 659. Vernacula Lingua. Propertio amò, e celebrò ne' suoi versi Cinthia; il cui vero nome era Hostia: Costui fu fra gl'altri il miglior Pittore degli amorosi affetti.

At quod ad Hostiæ nomen; cuius (Crinito teste ex Iosepho Scaligero Auctores sunt Apuleius, & Sidonius) aliter sensere Hieronymus Alexandrinus in Vita Propertij, & Ioannes Passeratius in Prælectionibus ad primam Elegiam; Nam Hostilis ille; hic Hostilia inquiunt, non Hostia eius nomen.

men. Sed vtrum illi nomen; Metonymiam quidem cum Metri, tum significati causa, probe Vati arrisisse intelligimus.

Conuenire item videtur in Propertio magni faciendo; Tum Ouidius de quo Crinitus.

Certe cum sæpe de ipso Propertio agat, blandum, tenerum, ac dulcem appellat, multumq. illius Carmini semper concessit; & recitanti sua carmina auditor fuit, vt lib. 4. Elegia vltima de Tristibus.

> Sæpe suos solitus recitare Propertius ignes.
> Iure Sodalitij qui mihi iunctus erat.

Tum Martialis lib. 8.

> Cynthia te Vatem fecit lasciue Properti.

Et in vltimo libro Disticorum Apophoretorum ad finem.

> Cynthia facundi carmen iuuenile Properti
> Accepit famam, nec minus ipsa dedit.

Tum maiorum sensus, & declaratio; Nam inter Catullum, & Tibullum; Propertium medium, ac magis præstantem statuere censuerunt. Et quamuis ab imperitis librarijs suo nunc videatur demotus loco. In meo tamen Codice horum trium Poetarum per Aldum, & Philologum recognito Anno MDIII. Florentiæ excuso; ac ipse

in nonnullis Vidi MM. SS. Propertius itidem interiectus est. Eum vero digniorem iudicandũ, qui in duorum, vel plurium medio, æqualitate præsertim data, collocatur; tradit Cassanæus I.C. in Cathalogo Gloriæ Mundi par. prima cõsideratione xiij. Quemadmodum & in antiquis Conuiuijs medius lectus erat honoratior, vt obseruatione loci Sallustiani ex 3. Historia, & ex illo Horatij.

Sæpe tribus lectis videas cænare quaternos,

adnotauit Scaliger ad secundam lib. 2.

Neque ab his dissentire videtur Franciscus Petrarcha in vtraque nostra Italiæ lingua insignis Poeta Florentinus Arretij genitus ob latina Poemata, ipso Die Paschatis Resurrectionis Domini VIII. Aprilis MCCCXLI. Capitolino in Saxo Corona donatus; dum in Triumpho Amoris cap. 4.

L'vno era Ouidio; e l'altro era Catullo,
L'altro Propertio, che d'Amor cantaro
Feruidamente, e l'altro era Tibullo.

Simili modo Bonus Accursius Pisanus in Ouidij Vita ad Metamorphoseos. Marius Equicola lib. primo cum de Petrarcha, qui & de egregio Frãc. Barberino Seniore. Ant. Posseuinus in Bibliotheca

ca. Vdenus à Vernio magnę eruditionis Criticus, ne i suoi Proginnasmi Poetici nel vol. primo progis. 26. & alij, Propertium medium scripto expresserunt. Vnde eidem meo Propertiano Codici appegi, quod multis ab hinc annis, ob eximiam illius excellentiam nisi Epigramma; quod ad huiusce scriptionis prope calcem afferemus.

Atenim vt in Vtraque Italiæ lingua? Quoniã latine loqui Festus scripsit à Latio dictum; Itala vero hodierna; quam quidam iure Florentinam; alij Senensem; seu verius Tuscam, ac generatim præstantiorem pleriq. vocitant; Mauritii Imperatoris tempestate, qui Imperium suscepit Anno Sal. DLXXXVI. Pelagio Secundo Summo Pōt. Sancti Gregorii Magni Antecessore ad Ann. XL. supra Mille originem habuisse perhibetur post mixtionem, & influxum Barbararum gentium Gothorum, Hunnorum, & Vandalorum; præsertim cum ii non perambulauerint tãtum loca; sed insederint; vt obseruauit Lipsius in libro de recta pronunciatione linguæ latinæ Cap. 3.

Porro & si alia ab Propertio exigi potuissent opera, ni fata inuidissent inexpiabilia, fertur enim Crinito, Textore, & aliis alterum, & XL. annum natum obiisse; & fortassis plura exequutus est; Scaligero ad primam Eleg. addubitante.

Nescio

Nescio an omnia huius Poetę extent opera, nam versiculus, quem de eo producit Fulgentius.

Diuidias mentis conficit omnis Amor.

versiculus inquam ille non extat in ijs, quæ hodie ad manus nostras peruenerunt.

Nihilominus & ijs occurrendum opere precium duxi, qui non adeo eximium illum facerent, ac vnus præcipue prædicat Lipsius. Quibus breuiter rescripsisse velim; non Poesim modo; sed & latinam ab illis distare linguam; quam paucos, quomodo persuasum habeo, perfecte assequutos video; licet plurimi sectentur illam; pluresque esse, qui Poetam ament, quam qui intelligant, vt alioqui scripsit Scaliger.

VERVM nũc iam liquidũ satis existimamus; quid res habet argumenti, cur tot Vmbriæ Opidorũ Ciues Propertium sibi vindicare satagentes, alijs alij patriam dignitatem, & decus cedere nesciũt. Et licet Raphael Volaterranus; Petrus Crinitus; Ambrosius Calepinus; Domitius Calderinus; Philippus Beroaldus; Marius Equicola; Io: Rauisius Textor; Io: Maria Cataneus; Leander Albertus; M. Ant. Bonciarius; Philippus Cluuerus, alijque recentiores haud minus multi gratuito alter alterum sectatus Meuaniam Propertij Natalem sedem actutum (& si aliqui dubitabundi) peruulgare

peruulgare videantur; quibus nuper accessit strenuus Latinorum Criticus in suis Paradoxis literarijs.

Huiusmodi tamen sententiam nequaquā ab iis recipi posse censeo, qui principem hanc Vmbriæ partem, quam Vallem Spoletinam dicunt xxx. millium passuum planissima, speciosissimaque longitudine; quatuor, vel quinque millium latitudine constantem; quà Montibus floridis, quà fructuosis Collibus septam, & excultam obierint, lustrauerint, obseruauerint; nec alienæ meruerint laudi, gloriæque antiquitatis; rursus aio inuiserint; nam scriptis simpliciter prodita, à quouis probe haud facile percipi posse crediderim.

Iosephus Scaliger vir literis excultus, atq. clarus in suis Castigationibus in prima Eleg. lib. 4. Propertii patriam hactenus, inquit, ignoratam Italos Homines, atque adeo ipsos Vmbros primus edocuisse audacius, vt in multis, se iactat; illaq. Ameriam præfinit, & declarat: cuius openionē Ioannes Passeratius Rethor Regius, & Senator Parisiensis eruditissimus, deq. re literaria optime meritus, non refugisse videtur in suis Prælectionibus solemnibus in ipsum Poetam Eleg. vltima lib. 1.

Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis latinis, Græciſq. literis clariſſimus tomo ſecundo Hiſtoriæ Græcorum, & Latinorum Poetarum Dialogo 4. Franciſcus Alumnus item Ferrarienſis in Mundi Fabrica antedicto numero 659. Iuſtus Lipſius Vir doctus,& humanioribus eruditiſſimus lib. 5. Antiquarũ Lectionũ Cap. X. Laurentius Schraderus Halberſtadienſis lib. 3. Monumentorum Italiæ: Chriſtophorus Saxus Peruſinus Grammaticus; Aſſiſium (licet & eorum quidam hæſitent) Propertij ſolum ſcripſere patrium.

Nonnulli vero Fulginiam aſſeuerant; alij ſolidiori ratione Trebiam adſtruunt; Monteſalchium alij malunt; alij Vectonium iure autumant: Tum nouiſſime Felix Ciattus Peruſinus ſuo Paradoxo, quod Peruſina in Academia Hiſtoricum vernacula lingua dixit; Peruſiam multis propugnare contendit.

EGO AVTEM verã,germanãq. Propertij Poetæ Patriam Hiſpellum aſſero; Moxque. quid hac ſuper re menti occurrit, Diuino primum humili animo implorato præſidio ad Dei Omnipotentis Gloriam; & Patriæ decus meæ; Ciueſq. ac Iuniores ſingulos per omne ætatis tempus ad Virtutum æmulationem inflammandos, proſequemur.

Illud

Illud vero præloquendum, teſtatumq. in primis voluí; & ſi dulciſſimam cuilibet patriam adnotauerit Accurſius in gloſſa prima ex textu Sceuolæ I. C. in l. qui habebat, 99. ff. de leg. & fid. 3. Et Nos antiquorum ſapientum ſententia Patriæ rationibus maiori ſtudio conſulere; quam priuata tueri commoda debeamus; Dedecet enim, ac indecorum in primis eſt, ſibi vni proſpicere, nihilque præterea ducere, neque poſt ſe quicquam relinquere, & veluti pecudes emori, cum non ſibi ſolum homo natus; ſed Patriæ, & parentibus (ait Diuus Thomas) maxime debitor ſit poſt Deum; & dum quis corporis inquilinus eſt, poſteritati maxime ſeruiat; aduertit M. Tullius.

Non tamen inquam, Patriæ libidine, ita meæ hærere ſententię contendo; tamque acri animo, litigioſoque, vt recta aliorum (quod abſit) flocci faciam conſilia; ſed ipſam rationem, veritatemque apud me magis, quam nudum cuiuſpiam dictum, aut opinionem valere profiteor.

Periculoſæ ſcilicet plenum opus aleæ videor aggreſſus; cæterum ſi tot ingenio clariſſimorum virorum non idem ſenſus; non eadem eſt de Propertii cunabulis ſententia, & exiſtimatio; Sane ſiue Peruſinus, ſiue Aſſiſias, ſiue Amerinus, ſiue Meuanas, aut cuiaſuis ſcripta hęc perlegens, ne

nimium sibi forsitan allubescens ægrè ferat obsecro; neq. vitio vertens immerito mihi vni succẽseat; caueatq. putet minus in inuisos me inuectum; singula enim in medium proferre mẽs est, vt diximus (Deum testem laudo) in primis ad eius Gloriam; Tum animi causa, ac studio veritatis, & ratiocinationis, atque vt Municipibus meis ad Virtutes semper calcar adiiciam; eo præsertim amore illectus, qui animis nostris insitus est, atq innatus; ceu pulchre Vates, cui Sulmo patria, lib. primo de Ponto ad Rufinum cecinit.

Nescio qua Natale solum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

SED iam nunc enarrationẽ, disceptationemq. Deo Auctore auspicemur. PROPERTIVS quantũ quidem licet intelligere, tribus in locis de Patrio solo in quatuor suis Elegiarum libris egisse videtur clarius.

Primus est in breuiori Elegia speciatim de Patria sua in primi libri calce ad Tullum inscripta.

Alter est in quarti libri prima Elegia; cui de Vrbe Roma titulus.

Postremus in eadem Elegia prima quarti nonnullis interiectis versib⁹, de quib⁹ mox singillatĩ agemus.

QVOD



QVOD ad primum locum attinet. Tullo iam flagranti desiderio, crebriusq. rogitanti patrios Poetæ penates edicere, eiusq. genus haud diutius ignorare, Propertius respondit.

AD TVLLVM DE PATRIA SVA

Lib. Primo Eleg. vltima.

Qualis, & vnde genus, qui sint mihi Tulle penates
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriç sunt nota sepulchra
Italiæ duris funera temporibus,
Cum Romana suos egit discordia Ciues,
Sit mihi præcipue puluis Etrusca dolor,
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui,
Tu nullo miseri contegis ossa soli:
Proxima supposito contingens Vmbria campo
Me genuit terris fertilis vberibus.

His decem versibus Propertius non sine animi mærore prælium inter Octauianum Augustum; & Lucium Antonium Consulem Marci Ant. Fratrem memorat: Quo Augustus Lucium Antonium, quasi fugatum; demum intra Perusiæ Muros dura septum obsidione, ad extrema deditionis, turpi, & nihil non experta fame (ait Florus) compulit; vnde dictum; Perusina fames canina.

Tum

Tum Perusia subacta, & euersa; veniaq. Lucio Ant. Consuli impertita; parentem suum (Petro Crinito teste) equestri dignitate, & Triumuirali potestate ornatum, cum plerisq. Romanorum Equitum, & Senatorum Lucij Antonij partes sequentem ad Aram Cæsaris idibus Martij hostiarum more (vt aiunt) mactatis, interemptum insinuat, deploratq. De qua Romanorũ cæde Suetonius in Augusto, & alij; tum proxime Sigonius in Fastos, & Triumphos ad Annum Vrbis conditæ DCCXII. Et si Lipsio, & cuipiam alteri de Cornelij Galli letho Poeta loquutus videatur. At Gallus amicus illi tantum, & beneuolus; de quo expresse in alijs Elegiis, eumqne aliquando amicum dixit, vt cætera de eo omittam.

Nec refert Patrem propinquum dixisse

Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui;

Nam ita & in prima quarti

Dij mihi sunt testes non degenerasse propinquis,
Inque meis libris nil prius esse fide.

Vbi Passeratius fol. 562. Propinquis; Nam dixit, me creae Architæ soboles; Ergo Parentes. Et quidem recte; ná si propinqui sunt, qui proprius gradu cognationis se contingunt, eodem Passeratio ad vltimam primi fol. 242. profecto propinqui primũ omni iure dici valent parentes in primo gradu; Cum alioqui Parentis verbum (Gaio, Paulo, Vlpiano

Iuris

Iuris Consultis) omnes Superiores vtriusq. sexus contineat; hocque ex benigna legis interpretatione inquit Accursius.

Demum Perusia mœnibus insuper ab Augusto restituta, Augusta appellata est; cuius nominis claritate fastu quodam gloriose superbire visa est hactenus. Genitoris ergo mortem Poeta breui anteposita Elegia vltima primi. Bonorum vero paternorum proscriptionem, atque inde suam à tenera ætate egestatem dicta prima libri 4. sic questus est.

Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris esse lares;
Nam tua cum multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.

Sane Perusiam in Etruria sitam Tybride eam ab Vmbria dispertiente non solum constat Cosmographis; sed etiam Tito Liuio, Eutropio, Procopio, Horatio, Plinio, Paulo Diacono, Blondo, Beroaldo, Sigonio, Leandro, Ferrario, & alijs exploratũ est, ac certũ apud omnes; Ideo Poeta.

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra,
Sit mihi præcipue puluis Etrusca dolor.

Tum studiosę Tulli percunctationi occurrens, breuiterq. perorans, subdidit.

Proxima

Proxima ſuppoſito contingens Vmbria Campo
Me genuit terris fertilis vberibus.

Igitur Propertius perſpicue ſe Vmbrum, & in Vmbria editum prodit; & ad Etruriæ finitimæ diſcrimen ipſam Vmbriam ſtatuens, illam ab vbertate, atq. fertilitate Terrarum dilaudat, nec plura. Hiſce itaq. carminibus, queis Tullo genus, ac penates compertos facere pollicitus eſt; nullo quidem ſe coarctat termino; nec aliquod ſignat Opidum nomine, certumuè exprimit locum, quem patrium accerſet ſolum; nec quicquam vltra adijcit.

Et licet Vmbriam, quæ latiſſime patet, ſynodoche figura, pro ea parte, quà Poeta ortum duxit, poſuiſſe dicendum ſit; non tamen abſque additamento conſequitur, vt locus ille pro certo Propertij habendus ſit natalis; nam plurium Ciuitatum, Opidorumque Agri appoſiti ſunt, atq. connexi Peruſino.

Quid ergo cauſæ eſſe potuit, rogat Scaliger, cur Patriæ nomen poſteritati inuidit Propertius; & non ipſum modo; ſed & alios itidem videmus patriam reticuiſſe?

Profecto ſi conijcere licet; nec cuipiam magis adſcribi, nec quod menti occurrat, probabilius putarim; quam ceù ſuum quis notum nomen; ita

& pa-

& patriam perſpectam ſatis, ac cognitam ſecum recolens, haud neceſſe tum ſcriptis promendam duxerit; aut vero de induſtria prætereumdam: quidquid Scaliger ob contumacem Ameriæ, inquit, & Vadimonis ſyllabam (nam Ameriam adſtruit patriam vt diximus) in heroicum includere carmen, Propertium haud potuiſſe ſcripſerit. Verum idem Scaliger ad Eleg. 18. lib. 1. in illo pentametro

Siue Aniena tuos traxerit vnda pedes,

Quaſi eius ſyllabæ immemor, vel dicti oblitus, Codicem ſuum habere dixit

Siue Amerina tuos traxerit vnda pedes.

Lacumque Vadimonis Amerinã vocari vndam profeſſus eſt. Cæterum & Scaligerum allucinatum, & Poetam non de Ameria, neq. de Vadimonis lacu loquutum, infra patebit luce clarius. Si quis vero rationem reticentiæ altiorem, nobilioremq. amaret; meo quidem conſilio ea petenda; quam Angelus Politianus in præfatione ad Homerum affinxit. Homero, inquit, Vati, hæc eſt propria, peculiariſq. tribuenda laus, quod neq. ipſe de patria ſua quicquam prodidit; & plerumque illum nobiliſſimæ Ciuitates ſuum quæq fuiſſe Alumnum contendunt: & adeo ſe ſe ſupra hominis conditionem Vates hic eminentiſſimus, atq. incomparabilis attollitur; adeoq. nihil mortale

 ſonat;

ſonat; vt merito illi & Patria Cælum ipſum, & Mater Calliope videri poſſit. Atque hæc ego de Homeri, patria parentibusq. eo cõſilio attigi, vt intelligeretis, quanta in illo Viro altitudo animi, rerumq. humanarum deſpicientia fuerit, qui in tot verſuum millibus nullam de Patria vnquam, parẽtibusq. ſuis fecerit mẽtionem; immo ne nomen quidem ſuum aut titulo addiderit, aut carminibus inſeruerit.

Cum itaque ex antepoſita Elegia ad Tullum; liquido conſtet, Propertium dubijs, & communibus finibus potius; quam certo, & ſingulari nomine patriam proferre maluiſſe; ad reliqua carmina, quibus illam magis dilucidaſſe videtur, ſermonem deflectemus; vt quæ, & qualis (quantũ in me eſt) probe intelligatur.



SECVNDO


ECVNDO loco agit Propertius de genitali ſolo in dicta Eleg. prima, cui titulus de Vrbe Roma, lib. 4. (ſi modo 4. dicendus) Lipſio præſertim Variarum Lectionum lib. 1. cap. 16. autumante Monobiblon, ſeu librum ſingularem ſuperiori ætate fuiſſe inſcriptum. In quo Poeta non de Amoribus, inquit, Lipſius (quod num vniuerſe verum, tui, Lector optime facio iudicij) ſed de Vrbis antiquitatibus, de Auguſti laudibus, & alia quædã grandiora cecinit; eiuſq. rei magnum eſtimat argumentũ ipſius Propertij verſus Eleg. 14. lib. 2.

Sat ſit magna mei ſi tres ſint pompa libelli,
Quos ego Perſephone maxima dona feram.

Sed ſiue tres dumtaxat libros ex Beroaldi ſententia tum deſtinauerit; ſiue primum in Amoris tyrocinio, quem vnicum (ex Paſſeratio) ſcribere conſtituerat, Monobiblos dixerit, quia ſingularis, & non plures; quod eo ex Diſticho Scaliger conijcit lib. 2. Eleg. 25.

Tu loqueris cum ſis iam noto fabula libro,
Et tua ſit toto Cynthia lecta foro.

Certe vt vt id se habeat; quemlibet Propertij librũ Monobiblon in pluribus MM. SS. ipse in Vrbe inscriptũ vidi; nonnullis addito Nauitæ cognomine, Sic.. Sex. Aur. Propertij Nautæ Monobiblos ad Cynthiam. Fortassis illud Nautæ in ijs MM. SS. ex eo pentametro, in dicta Eleg. 25.

Nobilis, & quamuis Nauita Diues eras.

At nullo satis idoneo argumento id videntur plerique opinati, inquit, Beroaldus; Mendose enim legitur Nauita pro non ita, quam castigationem Ios. Scaliger (misso tum Beroaldo) sibi adscripsisse visus est ad dictam primam Quarti.

Propertius igitur eadem prima Quarti. De Romanis plura præfatus; eaq. persequi studens; quamuis suorum tenuitatem Carminum, exilitatemq. caussari videatur; Ironia tamen dictum liquet; etenim non ipsã modo Romanam Vrbem; sed & Vmbriam vniuersam suis elatam, ac tumidã fore carminibus præsagiuit, tum se ipsum miratus, plurisque facere visus, quam Ennium Poetam (cuius Patria Crinito item dubia) Baccum appellat, à quo Corona donari hederacea deposcit; seque Romanum dicit Callimachum.

Mænia namque pio cogor disponere versu
Hei mihi, quod nostro est paruus in ore sonus;

Sed

Sed tamen exiguo quodcumque è pectore riui
Fluxerit, hoc patriæ seruiat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta Corona,
Mi folia ex hedera porrige Bacche tua,
Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani Patria Callimachi.

Romanum vero Callimachum (ac Virgilium dicimus Mantuanum Homerum) se ipsum pronunciat; quod ille, scilicet, dicendi forma Homerum (de quo latissime Macrobius lib. 5. Saturnal.) ipse vero Propertius Callimachum imitatione expresserit; vt Beroaldus, Crinitus, Muretus, Gyraldus, Passeratius, & cæteri scripsere. Quo itidē Epitheto à Quintiano legitur ornatus.

Romanique aderit pagina Callimachi.

Hinc dilucet Leandri Alberti lapsus in Descriptione Vmbriæ, cum de Meuania; Nam Callimachi tanquam in Vmbria geniti Propertium commeminisse inquit, eo Disticho

Vt nostris tumefacta superbiat Vmbria libris
Vmbria Romani Patria Callimachi.

Sed facile pentametri versiculus erroris offendiculum Leandro fuit; quippe de se ipso Propertiū loquutum; Callimachum vero Græcum Poetam Cyrenæum, minime aduertit Leander, in quo & Blon-

& Blondus captus eſt, & nouiſſime Ciattus allucinatus videtur,alteri id tribuens cauſæ.

Pergit dein Propertius, ſuiſque ex libris magna auſpicatus; illud plane ſuum profert natale ſolum; quod Muris, ſeu Arcibus tanquam arduis munitum propugnaculis ex Vallibus cõſpicitur emergere, & ſuperſcandere, ſubdens.

Scandentes ſi quis cernet de Vallibus Arces,
Ingenio Muros eſtimet ille meo.

Quo Diſticho Poeta quaſi dexteram ad Hiſpellum, eiuſque ſcandentes lares intendens; ſi quis, inquit, de Vallibus, Arces fuerit conſpicatus aſcendentes; Muros,meo ducat ingenio, & conſilio, ſeu Arces meæ ediſcat patrię.

At doctus Grammaticus Paradoxarius ſub initium Epiſt. 13. ex quatuor recitatis verſibus. Vt noſtris tumefacta, & cæt. & Scandentes ſi quis cernet, & cæt. Meuaniam præſignans: Propertius hic (inquit) Satis ſignificat patriã ſuam in planitie eſſe poſitã. Sed longe ab illo ſeorſum ſentiendũ eſt; id enim ex ijs Poetæ verbis cogi nequaquam poteſt. Immo contra, vt diximus; & infra latius demonſtrabimus.

Sane Hiſpellum è mediæ Vallis planitie, qua à frõte, ac lateribus perbelle circumdatur, ita ſuis cũ

Turribus

Turribus,turritisq. mænibus assurgere;& ad placidi Collis verticem scandere adhuc ex parte cōspicitur;vt in tota Regione cōsimile illi Opidum ea situs specie, eaque aeris salubritate, vbertateq. Terrarum non sit inuenire; Idemq. tanquā speculum, inque specula mediæ Vallis collocatum (quod illi vni proprium, & peculiare) inter Spoletium, & Perusiam XV. millibus passuum ab vtraque æque distans Ciuitate, totius amenissimę, planissimæque Vallis Vrbium, Opidorumq. corona redimitum; eorumq. quasi spectator, & spectaculum productum, ad mille luculentum laribus, vniuersam Vallem Citumni in primis, Tiniæq. aquis irrigatam sic prospiciat, speculetur, & teneat; vt non immerito à Iulio Cęsare in hac principe Vmbriæ parte in Coloniam deductū, Vrbis Romæ effigiem, Populiq. Romani Iura, institutaque (id enim iuris Coloniarum) tunc præseferret. Exornatum amplius non solum Theatro, quod in propatulo, extra Mænia,prope Herculis, & Apollinis, nunç Sācti Claudij Martyris Templum, ad Viam, qua Assisium; atq. Amphitheatro, cuius vestigia haud à Theatro longule, nēpe è regione Ecclesiæ Sācti FELICIS Episcopi, & Martyris Hispelli ad prędium hodie familiæ de Passerinis; sed etiā

statuis,

ſtatuis; Mauſolæis, Inſcriptionibus, alijſque Romanæ antiquitatis inſignibus refertũ conſpiciatur; vt cum Horatio lib. 2. ode 6. ad meam dixerim voluntatem

> Iſte Terrarum mihi præter omnes
> Angulus ridet. & cæt.

Fulginia vero, Meuania, & Cannarium in plano, imoq. iacent: Aſſiſium in Collis latere extenſum cubat: Vectonium illi è regione in alterius Collis fine: Trebia, & Montefalchium pariter in Collibus inter ſe oppoſitis ex parte abdita abductaque Opida locata viſuntur; At Hiſpellum mediæ in Vallis ſpecula, Speculum vt dixi(quod apud noſtræ Coriphæos linguæ, Speglio, Spello voce quodammodo deprauata) nonnulli appellandum haud iniuria retulere. Quæ cum ita ſint, Hexaſtichon (à prima luſi ætate) non ab re hic perſcriptum leges. Eo Sanctiſſimæ Crucis, & Speculorum hinc, & hinc, quæ Hiſpelli Reipublicæ Decuriones pro ſuis claris, nobilibuſq. proferunt, extolluntq. Inſignibus, argumentum, mea ſententia, enucleatum dixerim Satis.

DE

DE SPELLO EIVSQVE INSIGNIBVS.

E Specula Spellū Campo S prospectat vt Vmbros,
Vmbria sic Spellum P rospicit ipsa suum.
A speculo Spellū, nā pra E omnibus emicat vnum,
Sic specula, & SpecuLo gaudet vtrisque suis.
Fertque Crucem, Specu L ūq. duplex,īsignia prisca,
Sic nostrum, Specul VM,Nos docet esse Crucē.

Cæterum si curiosius perscrutari libet; rogo, quæ nam totius Terrarum Orbis pars nobilior, & illustrior? certe Europa sine controuersia dicenda est; Si Europæ Italia; Si Italię perpulchra hęc, amplissimaq. xxx. millium passuum Vmbriæ planities, à Spoletio, ad Perusiā consensu omnium dijudicatur. Cuius etiam nunc illud singulare est; quod Kalendis mensis Augusti à Meridie ad meridiem alterius proximi Diei Beatissimæ Deiparæ semper Virginis Marię Angelorum nuncupatæ Sacrum Sacellum magnificentissimo inclusum Templo, vel per Leoninos calores ab innumerabili Christiani Populi vndique confluentis multitudine in illud ingrediente ad peccatorum omnium remissionem ingenti Christi Domini munere Diui Francisci precibus obtentā

quotannis sancte percolitur, & frequentatur; sicut & Assisij mirum eiusdem Sancti Francisci Templum Templo suppositum; In quo sacrum eius Corpus admirandis IESV CHRISTI D. N. stygmatibus insignitum veneratur.

Et quamuis hodie Hispelli Turres multo pauciores percenseantur, longe tamen plures extitisse pro comperto est; earumque alteram antiquitate, & magnitudine potiorem totius Populi Hispellatis assensu, Anno Sal. MCCCLVI. post habita statutorum antiqua lege lib. 4. cap. 7. De Turrib. conseruandis, Clemente Papa VI. euersam constat. Cum enim Hispellates magna arderent seditione, & matronæ cuiusdam astu circa eam Turrē vltro citroq. armis septi in partes semoti, mox congressuri essent; continuo in eius Turris culmine signum fulgentis igneæ Crucis duos inter Angelos accensas faces gestātes cælitus affulsit. Quo miraculo obstupescētes in genua venerabūdi procubuere omnes; Tum illico sedato dissidio, irarūq. furore restincto, mox detecta est Machina Mulieris; quæ quod multimodis Turre ad perniciem callide abusa, malisq. artibus, subdolisq. responsis Primores Populi per speciem alienæ fungendæ vicis circumuenerat, Turrem deinceps extare nephas sancientes, haud


multo

multo post funditus euersa, Sanctissimæ Cruci Cælo, Terraq. radianti in tanti à Deo, & Domino Nostro IESV CHRISTO accepti Beneficij memoriam, Sacellum excitatum est; Festumq. recurso die xviij. mensis Aprilis ex Populi iterato præscritpo lib. 4. cap. 43. & lib. 5. cap. 18. quotannis vel publica ad stationem supplicatione indicta celebratur. Hinc tritum hic Hispelli dicterium. La Vecchia della Croce. Postremo CC. fere post annis, altis, firmisq. Mænium culminibus labefactatis; tum & aliæ Turres, atq. Arces deturbatę sunt. De quibus, & quid in causa posterius dicemus.

Porrò Turres eo tum maiori pręsidio erant; quo ænei tormenti, & sclopi repertor, ex inferis, ait Polidorus, ad humanum exitium, atq. ędificiorum, Vrbiumq. euersionem, non dum eruperat. Inuentorem ferunt Theutonicum quēdam perobscurū; cuius nomen merito prorsus ignotum est; Eiusq. tartareę machinę vsum Venetis in illo Bello primum ostendisse, quod ad fossam Clodiam cum Ianuensibus gestum est Anno sal. MCCCXX.

Verum quod ad tempus, quo primum huiusmodi bellica tormenta, seu Bombardę, vt vocant, visę sint, vsuiq. fuerint, non satis certò constare,

multis, multisq. redargutis scriptoribus perquisite demonstrat Hieronymus Magius in Miscellaneorum, seu Var. Lect. lib. 1. cap. 1. vbi ad finē subdit ex ijs Turrib⁹ etiā Briccolas, quæ sunt Machinę lithobolę, in Hostes eiaculari cōsueuisse.





ERTIO loco de Patria agit Propertius in eadē prima Eleg. lib. 4. nonnullis interiectis versibus. Vbi Romanis rebus missis; relatoque ad se ipsum sermone; parentis cędem, dirq sui syderis acerbitatem rursus ingemiscens, magis peculiari quodam studio patriæ fines edisserit, demonstratq.

Hactenus historiæ, nunc ad tua deuehor astra
Incipe tu lachrymis æquus adesse nouis.
Vmbria te notis antiqua penatibus edit,
Mentior an patrię tangitur ora tuæ?

Qua

Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis,
Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaque legisti non illa ætate legenda
Patris, & in tenues cogeris ipse lares,
Nam tua cum multi versarent rura iuuenci
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox vbi bulla, & cæt.

Et hic obseruare licet Poetam sui vt tenacem propositi; nec hisce carminibus natale solum nominatim; sed illius fines dumtaxat sub Hori Mathematici, seu Genethliaci, vt aiunt, persona recensere voluisse. Ait enim Antiqua se editũ in Vmbria; solique oram patrij eam Vmbriæ partẽ attingere

Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo.

Atque hinc planius liquet; Propertij cunabula, nequaquam Meuaniam asserendam; tum quod non patriã; sed patriæ oram dixit rotundis verbis

Patriæ tangitur ora tuæ
Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo

Tum vt cuius ad verticem consurgit Murus suam proferret, declararetq. patriam (Hispellum scilicet scandens) continuo

Scandentisque axis consurgit vertice murus.

Tum denique quia Meuania accliuis non est, neq. conscendit, quod ita ad hodiernam vsque patet

ætatem

ætatem, vt nemini dubium credamus; clariſque iam tum verbis Silius Italic. lib. 6. Belli Punici.

atq. vbi latis
Proiecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et ſedet ingentem paſcens Meuania Taurum
Dona Ioui.

Et lib. 8.

His Vrbes Arna, & latis Meuania pratis.

Quod & Petrus Marſus vtrobiq. in comment. confirmat. Quamobrem Ioſephus Scaliger ad hanc primam Quarti. Porrò, ait, cum Poeta manifeſte dicat Patriã ſuãm in Colle ſitam; quomodo Meuania, quod Opidum in planitię ſitum ęſt, erit eius patria?

Aliud haud contemnendum ſubinfert Scaliger; quo qui Meuaniam putant, inquit, falluntur; Non enim hic Meuania pro Opido ipſo, quod in planitie ſitum eſt, accipitur; Sicut nequè Silius accepit; ſed pro ipſa planitie, quę ab Opido nomen accepit.

Eodem congruere videntur Carmina Egregij Poetę Vmbri Ioannis Iouiani Pontani, Alphonſi de Aragona Neapolis Regis à Secretis lib. primo Parthenopęi.

O ſi poſt Cineres & me quoque iactet Alumnum
Vmbria Carminibus non inhonora meis.
Vmbria Pieridum cultrix Patria alta Properti,
Quæ me non humili candida monte tulit.

Confert & verbum rorat; quod non rorem, quem

vetant

vetant nebulę, vt probe norunt omnes, ac Metheorologi; ſed ſtillationem, ſeu decliuitatem ſignificat; ac illud Virg. æn. 8.

Et ſparſi rorabant ſanguine vepres.

Vnde & aliud patrię peculiare deprehenditur; cum enim Propertius ſuum dixerit ſolum ad Meuanię campum, ſeu quà Meuania rorat, ſatis eam excepiſſe ſibi viſus eſt; Nam particula quà per locum ibi ſonat, ideſt ea parte; & dum illico.

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus,

ipſum Hiſpellum proximę ſcandens, propriuſque conſurgens, cuius Ager ipſius Meuanię cauo; rorantiq. campo cohęret, pulchre, vnaque clarius, vel Aſiſio exploſo, quod à Meuania longius (ſcilicet VIIII. circiter millibus paſſuum) demonſtrauit.

Amplius ſi Meuaniam Natalem ſedem aſſerere voluiſſet; ſane haud ludibrio, odioue quodammodo nebuloſam dixiſſet; neque obſcuro, & caliginoſo huiuſmodi; ſed honeſto, & illuſtri; ac celebre Opidum, caramq. decet patriam, decoraſſet Epitheto; nam exiſtimationē voluit Poeta,

& ſibi

& ſibi, & Patriæ comparare, non turpitudinem, ſubdens

> Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris,
> Vmbria Romani Patria Callimachi.

Rurſus ſi patriam renũciare intellexiſſet Meuaniam eo verſu; qua nebuloſa; non alia deſcriptione, ſeu additione, meo conſilio, illi opus. Verum cum ratione, & intelligentia Hiſpellum complecteretur, firmuſq. eſſet in ſententia patriæ quidẽ fines, & proprietates proferre; illius vero omnino reticere vocabulum; adiecit Muros ex Vallibus ſcandentes proſpici, & ad verticem emergere. Quod vni Hiſpello, quoquo modo capias, vnice congruere liquido patet; è media enim Valle, vt diximus, & à Meuaniæ campi ora, cui Hiſpelli Ager iungitur, leniter ſuis cum Muris, ſeu Arcibus ad Collis Apicem conſurgit; Tumque patrię ſuę Muros illos dilucide magis, notoſq. aſſerens; eoſdem ab ſui ingenij monumentis notiores fore, vt dictum eſt, enunciauit, ſic

> Vmbria te notis antiqua penatibus edit,
> Mentior an patriæ tangitur ora tuæ?
> Qua nebuloſa cauo rorat Meuania campo,
> Et lacus æſtiuis intepet Vmber aquis
> Scandentiſque axis conſurgit vertice Murus
> Murus ab ingenio notior ille tuo.

Sicut

Sicut & paulo ante dixit

> Scandentes si quis cernet de Vallibus Arces
> Ingenio muros estimet ille meo.

Cumque hęc nullo pacto Meuaniæ aptari queant; Hispello autem scandenti mire sint consentientia; pro certo patrium Poetæ solum Hispellum dicendum, atque habendum est.

POrrò item constat neque Assisium Propertij solum, si quidem nec Meuaniensi Agro finitimum; nec illi quidquam cum lacus Vmbri Aquis; quinimmo ipsius lacus, seu Balinei ad Clitumnum ipsi tum Hispellates dominatum obtinebant, eoq. vtebantur, vt infra docebimus.

Neque hic quispiã duos opponat lacusculos XXV. circiter cubitorum; vulgo Abissi, ad duo ferme milliaria Hispellum versus, à Meuania distantes; Nam præterquamquod ad aspectum luridæ eorum Aquę horrorem magis inferant, quam delectationem. Seraphinus Razzius ex ord. Prædic. Sancti Dominici in sua Pia Collectione, cui Titulus, Giardino di Essempi; sub verbo Auaritia, & Vsura; Exemplo primo pag. 24. Originem, & causam edisserens obiectum diluit; ob sordes nimirum perdiuitis cuiusdam Rustici, eiusque in Pauperes duritiẽ animi, Terræ hiatu, Aquarum erumpentium vi, domi cum familia,

mox & filiolo haud multis ante ſæculis abſorti; Vnde & hodie, inquit, Il lago del Contadino; in quo adhuc trabes illius Domus palpitare noſcũtur. Si vero, non hà molti ſecoli, vt Seraphinus ſcripſit; miror ipſius Seraphini cum Nuru (Sixto enim V. librum edidit) quam ſubijcit alloquutionem.

SED neque Ameria Poetæ patria eſtimari valet, Nam extra Vallem Spoletinam ſita; ne dum nõ proxima Meuaniæ; ſed xxx. prope paſſuum millibus ab ea, longiuſq. à Peruſiæ finibus abeſſe oculis, ac ſenſu ipſo ab omnibus, qui regionem incolunt, noruntque percipitur: Tuder enim Ciuitas, eiuſque Ager, aliaque Opida, & Montes illam diſpeſcunt, atque diſterminant.

Hinc Scaligeri erratum magis in propatulo; cum Ameriam, ac Meuaniæ affinem, & propinquã conſtituit; inque huiuſmodi mendum traxiſſe videtur & Paſſeratium ad vltimã primi aientem;

Si contingens pro contigua, vt pertingens dicitur, nomen erit, & proxima pro proxime: ſi contingens iungitur cum proxima, vt ſit quartus caſus numeri multitudinis neutro genere participium erit; eodem tamen ſtatu Vmbria inquit proxima Peruſiæ ruinis, quæ iacet in Campo ſubiecto Ameriæ, vbi Meuania, me genuit.

Item in eo Scaliger manifeſti inſimulatur erroris; quod Clitumnum Etruriæ adſciuit; ſed de hoc

quoque

quoque poſtidem dicemus latius.

Ad hæc aliud patriæ ſingulare attendendum; Nam præter conſcenſionem ad culmen; Axem ſcandentem Propertius ſuam dixit patriam; quaſi Axis, ſeu Poli inſtar ab infima ſui parte leuet ſe, tollatque ad verticem, inquiens

Scandentiſq. axis conſurgit vertice murus.

Quod Hiſpello dumtaxat congruere nequaquam in dubium vocari poteſt. Adſtipulatur Paſſeratius ad hanc ipſam primam quarti fol. 560. in Cōmentario; quo, (inquit Criticus Germanus) nunquam quicquam viſum fuit perfectius vertice axis ſcādentis, ideſt, inquit, Paſſeratius, Iugo Collis. Et recte quidem; Nam Hiſpellum (libet repetere) à Mediæ Vallis planitie tam ſingulariter ad placidi Collis tollitur faſtigium; vt illi peculiare, ac proprium; nulliq. alteri Ciuitati, Opidoue in tota regione conuenire aperte dignoſcatur; Præque hac qualitate, & conditione Meuania iterum, ac Fulginia, & Cannarium, quod in plano, vt diximus; Aſſiſium vero, Trebia, Montefachium, & Vectonium; ſicut & Peruſia quod, integri ipſorum ſitus in Collibus, prorſus extruduntur.

Siue autem aſſurgentem Cliuum axem dixerit Propertius ab altitudine; ſiue axem pro climate,

aut tractu posuerit, vt Scaligero placet; siue axis voce, inquit Beroaldus, nomen ipsius Cliui intelligatur; Hispello perquam apte quadrat; Etenim non solum sublime eminet; sed ipsius axis instar locatum pene conspicitur. Nam sicut axis, Mundi nempe Diametron, seu linea illa imaginaria ab vno in alterum Cardinem transuersa, licet ex se recta, oblique tamen in Orbe profertur; sic & Hispellum recta itidem linea; sed oblique quodammodo à planitie per Collis Cliuum pro situs ratione ad illius cacumen leniter assurgere comperitur.

Aut vero, si malles, Hispelli Cliuum axem Poeta dixit; quod scilicet Septemtrionem versus, vt patet, Hispellum conscendat: Axis enim Festo, & Iuniano de priscorum proprietate verborum, Isidoro lib. 3. Ethimol. cap. 35. & alijs, recte pro Septemtrione quoq. accipitur. Quod & Virgilio liquet, cum de Arboribus Georg. 2.

Vt quo quæque modo steterit, qua parte calores
Austrinos tulerit, qua terga obuerterit axi.

Consentiunt Seruius, Ascensius, alijq. Expositores, ac Phylargirius in notis, qui axi pro Septemtrione venuste positum aduertit; quibus nouissime iunctus est Io: Ludouicus della Cerda Toletanus

è societate

è Societate IÈSV in eius vastis in Virgilium Commetarijs eodē lib. 2. Geor. fol. 299.

Nec quod Hispelli Cliuus axis voce à Propertio notetur Amanuensium mendū quis putet; & Asis, non Axis legendum; Assisiumq. per Apocopen intelligendum. Si quidem manifesta esset diuinatio; non solum, quia in omnibus melioris notę scriptis Codicibus eadem reperta est scriptura Axis; sicut & legunt Beroaldus, Calderinus, Manutius, Gyraldus, Philologus, Muretus, Scaliger; Ianus Dousa Senior, & Iunior; alijq. eruditiores; atq. ita habent duo peruetusti Codices MM.SS. admirādæ Bibliothecæ Vaticanæ à Sanctiss. D. Nostro VRBANO VIII. PONT. OPT MAX. (FRANCISCO Card. BARBERINO Bibliothecario eruditissimo) magnifice adauctę, alter signatus numero 1611. & alter numero 1612. in inferiori, interioriq. parte Plutei XLVI. nec non eiusdem Propertij Codex lutetię Parisiorum cum doctissimorum Virorum Commētarijs Anno MDCIIII. editus.

Sed etiam quia Assisij nomen tam exametro, quā pentametro absque vlla præclaræ eius Ciuitatis nominis inuersione complecti perfacile quidem Poetæ fuisset; vt cuique metri rationem callenti compertum est. Quapropter cum Scaligero in hoc

hoc ſentire haud ambigo; Aſis nimirum pro Aſiſium, nimis profectò violentam eſſe Apocope, vel ijs, qui Muſas colunt ſeueriores; ne Aſſiſium tum non dum conditum dicamus; vt quidam perperam dictitant. Inter quos nuperus Ciattus, inquiens. Atteſo che incerto ſia, nè da buoni Autori cauar ſi poſſa, ſe Aſſiſi edificato, ò riſtorato ſia al tempo di Propertio. tum ſibi haud plane conſtare viſus; paucis interiectis ſubdit. E per gli Aſſiſani; oue la fama dell'Antichità loro? oue la non mai à baſtanza da loro ingrandita Dea Aſſuſia? oue là gloria d'entrambi d'eſſer Colonie de' Romani? oue il vanto di eſſer ſtati principaliſſimi Popoli dell'Vmbria?

Et hoc addas licet ex me; figuram huiuſmodi non vltra vnius literæ, aut ſyllabæ ad ſummum detractionem admittere; Sicuti qui humanioribus pollent non ſunt neſcij. At valde quidem profectò abſonum foret, præſtantiſſimum Poetam inſcitiæ reum facere.

Viget & altera attendenda Scaligeri notatio, & animaduerſio ad eamdem primam quarti, Aſis videlicet pro Axis, vitioſam eſſe ſcripturam. Nam & auſerat, inquit, pro auxerat; ſiſſa, pro fixa; Poliſena, pro Polixena; Iſionides, pro Ixionides ſcribebant imperiti librarij. Fateor in M.S. Martij Mileſij Sarazani Romani, apud quē multa Romanę antiquitatis monumēta, aſis ipſe legi; At in alijs pluribꝰ MM.

SS. emendatioribus, ac in impreſſis penè omnibus, recte non niſi axis.

Quæ quidem cæteroqui præſagiens Gyraldus per quam ęgre ferre videtur Aſſiſio nequaquam cōgruere verſum illum

Scandentes ſi quis cernet de Vallibus arces

quod arces nimirum, non arcem; neq. vt multo maluiſſet ſcandentem aſſem Poeta ſcripſerit. Quamobrem in exiguum, anguſtumq. Gyraldus compulſus gyrum; antiquam, ac germanā ſubueritus contorquere lectionem, nuperam ſupponere erubuit; niſi ſi quis, inquiens, audaciuſcule eo verſu ſcandentem aſſem legere maluerit. At illius, quem viderim ſectator nullus, & probe quidem; Nam ſi omnibus hoc modo omnia peruertere in bonis ſcriptoribus licet, nihil eſt alioqui (ait Scaliger) quod in illorum ſcriptis difficultatem nobis pariat.

Eodem laborare videtur, & Lipſius lib. 5. Antiquarum lect. cap. X. Arbitror, inquit, rectam ſcripturam ſcandentiſque aſis, Aſim, vel ſi placet aſum; Nomen Montis cuiuſpiam accipio, qui Propertij patriæ adhęreret. Sed quid mouit Lipſium? Teſtem, inquit, laudo vitam Propertij ſcriptam, quæ eſt in libro Fuluij his verbis. Propertius Vmber ex Aſiſio Opido dicto ab Aſo Monte ſibi oppoſito; Pater perijt bello ciuili. Ita Lipſius, nec plura de vita. Verum

Verum qui illam finxerit, seu exſcripſerit vitā neſcitur; ſuoq. Lipſius loquitur arbitratu. Verbū vero oppoſito, pro appoſito eſtimo ex Typographi mendo. At quiſquis eius vitæ ſcriptor, de eo iam tum Scaliger. Ne forte quiſpiam, inquit, aut vitam Propertij, quæ ab inepto homine ſcripta eſt, ſequutus, Aſiſinatem dicat; Quamuis ne ita quidem efficeretur, Aſiſinatem eſſe; cum aliud ſit Aſis; aliud Aſiſium; neque putet Meuanienſem eſſe, quod hic Meuaniæ ſit mentio, in Montanis enim patriam ſuam ipſemet conſtituit. Denique meo periculo Amerinum Propertium omnes fuiſſe mihi concedant neceſſe eſt. Paſſeratius Scaligerū ſequutus eſt in ijs quæ de Aſi; Lipſiumq. improbans, inquit. Quod autem Lipſius Aſis legit pro nomine Montis, bene refellitur à Scaligero.

Cæterum admonere præſtat; Tametſi Montem Aſſiſio adhærentem dicamus; illum tamen inprimis Hiſpello appoſitum videmus; eiuſq. originem manifeſtam ad ipſum Hiſpellum; Supraquod initium ſuum prægrande, turgiuſque habere conſpicitur ab omnibus, quibus per Trebiatem, aut Fulginatem iter eſt Fulginiam, vel Hiſpellum verſus; idemque nomen illi eſt Subaſius (hodie Monte Soaſio) ab Hiſpello ad Aſſiſium productus. Hiſpellum igitur cum ob eum montem; tum ex eo obtinere habet, quod non Aſſiſij; ſed Hiſpelli Ager, vt dictum eſt, oram Meuaniæ contingit.

Inſtat

Instat item Lipsius eodem cap. X. Antiquarum Lectionum lib. 5. sic.

Doctissimus Cantherus noster emendauit

Scandentisque arcis consurgit vertice Murus

Vt supra idem Poeta

Scandentes si quis cernet de Vallibus arces.

A quo (subinfert Lipsius) & ipse sensi ante inspectos libros: Atenim illi omnes quasi conspiratione facta, scandentisq. asis: & quidem fallit me meum augurium, an inuenta veritas est? Arbitror rectam scripturam, scandentisque Asis, Asin, vel si placet Asum. Nomen Montis cuiuspiã accipio.

Ita Lipsius, de quo supra.

Hic ego iam quæro, qui omnes? sane idem Lipsius in præfatione Commentarij dictarum Antiquarum lectionũ, ad lectorem de ijs Codicibus, sic Propertij exemplaria quatuor laudo; primum Bibliotheca Farnesiana habui; alterum Vaticana: Tertium à Fuluio Vrsino: Quartum à Marcoantonio Mureto. Mihi omnes euoluere, & inspicere, dum in Vrbe, peracre quidem desiderium fuit; sed non datum singulos.

Primo vidi Mureti librum M. S. Propertianum in pręclara Bibliotheca Collegij Romani Doctissimorum Patrum Societatis IESV, quibus Muretus suam lectissimis confertam voluminibus pie legauit Bibliotecam; signatum numero 299. isque asis quidem non axis habet. Sed (Lector

humaniſſime) ne reuerendæ vetuſtatis, Romanæque antiquitatis reliquias Manuſcriptum illũ Codicẽ exiſtimaueris; librarius in calce, ſic.

Propertij Aurelij Nautæ ad Cynthiam Monobiblos explicit feliciter per me Ioannem Carpenſem; cuius deliciæ euanuere, Die xxvi. Februarij 1460. Vale qui legeris.

Vaticanum deinde; immo duos vetuſtiſſimos Codices MM. SS. ad ſupramemoratum Pluteum XLVI. vnicæ, atque admirandæ Bibliothecæ attrectaui, & inſpexi; & in vtroque recte axis perſcriptum recognoui.

Farneſianum vero per obitum Cardinalis Odoardi Parmæ; perque meam ab Vrbe Roma profectionem attingere non valui; ſicut neque Fuluij Vrſini M. S. copiam nactus ſum; quod nec dũ vbi, mihi compertum; & ſi in eadem Bibliotheca Alexandri Cardinalis Farneſij, cui olim Fuluius perſamiliaris, facile crediderim. Haud igitur Lipſij arbitratus, hac ſuper re plus æquo à quoquam faciendus.

Præterea quamuis ex eo Diſticho

Scandentes ſi quis cernet de Vallibus arces
Ingenio Muros eſtimet ille meo.

Quod ſcilicet connexionem habeat, ac ſimilitudinem cum alio ibidem poſt aliquot verſus inſerto, nempe

Scanden-

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Nonnullis probabilius legendum, & congruentius videatur

Scandentiſque arcis conſurgit vertice murus,

quemadmodum Cantehrus (teſte Lipſio, vt diximus) correxit, cui conijciendo iungitur Paſſeratius.

Attamen ſiue Arcis legatur; quod equidem contra vulgatam probare non auſim; ſiue Asis, & mẽdoſam eſtimo librariorum incuria irreptam lectionem; ſiue axis, & tum recte, sicut omnes habent Codices meliores; proculdubio si verba ad proprium ſenſum accipiantur; Hiſpello tantum ſunt conſentientia; Nàm à planitie ad verticem vt dictum, emergit; non autem Aſſisium, quod totum Monti aſſidens in adiecti Collis latere extenſum iacere patet. Quod & Dantes Aligerius antiquus, & insignis Poeta, ac Philoſophus, & in Diuinis ſcripturis verſatus, in xi. Cãtu Paradisi ea voce Coſta singulariter expreſsit, cum de Sancto Franciſco

Fertile Coſta d'alto Monte pende.
Di queſta Coſta là dou'ella frange
Più ſua rattezza, nacque al mondo vn Sole
Però chi d'eſſo loco fà parole

Non dica Ascesi, che direbbe corto,
Ma Oriente, se proprio dir vole.

Nec est in præsens surgẽtia Asisij Mænia obijcere; Nam recentia illa sunt, & antiquis ampliora; vt patet; sicut & Propugnaculum in Collis culmine supra Ciuitatem præeminens; ex ipsa namque structura, & inscriptione, quam in fronte gerit, Paulo Tertio, exædificatum constat; quæ sic

Publicæ Vtilitati PAVLO III. PONT. MAX.
M. Card. Grimani Perusiæ, Vmbriæq. Leg.
Habenas æqua lance moderantis iussu
Lactantius Fidus Spole. Assisij, atque
Arcium Præf. Aere Fisci à solo fecit.

Nec faciunt, quæ de Asisio Franciscus Alumnus in sua Mundi Fabrica sub numero 900. inquit. Ascesi, & Ascisi. Lat. Ascisum, & tunc axis, siue asis dicta. Nam insulse satis, vt in multis, ea reddidit; sicut neque à Monte Asis (Volaterrano, & Leandro) Assisium; Non enim vsquam asis, aut axis pro Assisio; Sed Assisium, vel Esisium dictum est; aut etiam Asisia; vt cuiusq. est obseruare apud Veteres scriptores.

Cum vero idem Volaterranus lib. 6. Geographiæ mutilum pro sua sententia affert versum huiusmodi.

Subiectum

Propertio illum adſcribens; ſane fucato labitur commento; ſeque ipſum notat. Nam MM.SS. Codices perantiquos quotquot potui; ac varijs in Typographijs excuſos haud minus multos ita euolui, vt nuſquam ea verba peti præfracte defendere, dictumque falſimoniæ reuincere valeã. Vnde ne dum non repugnanter; ſed maiori quadã voluntate clariſſimo viro Franciſco Mauro Ciui Hiſpellati aſſentior, qui magni illius Seraphici Sancti Franciſci mirificam Vitam xiij. libris Heroico Carmine perſequutus, Franciſciados inſcriptum Opus Primo Magno Etruriæ Duci Coſimo Medices Anno ſal. MDLXX. Florentiæ; dein Antuerpiæ recuſum lib. 2. quare Aſiſium dictum, ſic effatus eſt.

Iam Belli fremitus, atque Arma horrenda ſilebant,
Iamque optata quies almam; & pax læta regebat
Vrbem, ſupremo quam ſtantem in Vertice rupis
Sole recens orto deſcendens Vmbra Subaſo
Plurima Flauicomo roranti tegmine opacat;
Hanc quoniam Montis radicibus aſſidet imis,
Aſiſium priſci latio ſermone vocarant.
Ergo hic Franciſcus, & cæt.

Et licet Maurus in eximio eius Poemate eumdem Montem crebro Subaſium dixerit; hæc, tamen

nuncupatio

nuncupatio si Assisio tribuitur; haud sane congrua; cum præsertim Assisium Monti, non Montem Asisio subiacere videamus.

Obijcies communis reputatio, & vocabulum sic hodie obtinet. Tum ego; quid igitur Asisium cum Subasio? maxime, quod idem Mons Subasius non solum Hispello imminet; sed & ab ipso Hispello conspicuum habere exordium visitur, vt diximus. Cæterum in nullo ex antiquis, vel Propertio coæuis scriptoribus Asim Montē ipse deprehēdi: Tu perfacile in recentioribus quibusdā Additionibus, aut Dictionarijs Poeticis Asim leges Vmbriæ Montem; nulla tamen adiecta scriptorum auctoritate; Subasium vero nusquā mihi persuadeo apud veteres Auctores.

SED nunc iam perridiculum quid admisceamus. Laurentius Schraderus lib. 3. Monumentorum Italiæ de Asisio sic.

Asisium vulgo Sisi, ab Acsi Fluuio Vmbriæ Opidum, edito in Colle situm; cuius condendi Auctor extitit Propertius Poeta, qui axim, vel assim nominat, Natalibus, & Sepultura Diui Francisci celebre; qui ibi duo Templa alterum alteri impositum habet magnificentissima ex solis lapidibus, & cæt.

Atqui heus tu Schradere? qui fit, vt ita latine scripseris; cedo & vnde Propertium Poetam Asisij conditorem auribus, oculisue hausisti? Sane priori posterius, posteriori superius non iungitur;

& te tecum pugnãdum. Si Aſsisium à Propertio conditum adſtruis, certe Aſſisium Propertio recentius; Tum iam quæro: Ante Aſſisium cõditum, vbi nam genitus Propertius condendi Aſſisij Auctor? Hoccine congruit? apagè nugas iſtas: Enimuero dictum tuum huiuſmodi non ſolum Italis noſtris, Aſſisiatibuſque in primis ioculare, ſed & exteris omnibus abſonum cenſemus.

VErum ad Montem vnde digreſsi ſumus reuertamur. Porrò sicut nec Asis Aſsisium; nec à Subasio dictum eſt Aſſiſium, vt ſupra docuimus. Ita neque Aſſiſij Amnem Aſim vocari; neq. ab eo Amne Aſſiſium, vt Schraderus item conſomniauit, nomen accepiſſe, perſpectum ſtatim faciemus:

Sane conſtat Amnem, qui Aſſiſiatis alluit planitiem, originem trahere à Fonte propter eſt Ecclesia vulgo San Pedrinzano ad Opidũ Scheggia nuncupatum Eugubinæ Ditionis. Eo ab ſonte duo eduntur Flumina; alterum Clasium, ſeu Chiaggium ab eodem Opido Scheggia, quod ex Ingino, ſeu Eugubino in Aſſisinatem, deinde in Tyberim elabitur: Alterum vero Flumen ab eodẽ emanans ſonte Aesis, ſeu Aesium ab Aesio Piceni Rege olim dictũ, quod Piceno præterfluit

& in

& in Mare decurrit Adriaticum, vt manifeste pateet, demonstratque Leander in Vmbriæ Descriptione, cum de Eugubio, & de Sanctissimo Vbaldo eius Ciuitatis Episcopo verba facit (cuius Vitam, & Miracula nuper perquisitius Romæ edidit pius, ac doctus Vir Michaelangelus Eugenius Ciuis Eugubinus) & in Descriptione Marchiæ Anconitanæ sub verbo Vmbri Senones; subdens ibidem Aesis, seu Aesium Flumen nunc Fiumicino, ab Aesio Rege dictum. De eodem Fluuio, & Silius lib. 3. Belli Punici

Queis Aesis regnator erat, Fluuioque reliquit
Nomen.

Idem tradit Ambrosius in Dictionario in voce Aesis; Nam Aesium, inquit, Vmbriæ Fluuius, inter Anconam, & Senogalliã in Mare influit Adriaticũ; Ab eoque Flumine Opidum illi proximum Aesium appellatum est: & inde Aesinates, quos memorat Plinius lib. 3. cap. 14. hist. nat. His quoque testimonio est Franciscus Pamphilus Poeta Septempedanus, seu Sanctoseuerinas in Picæni Descriptione lib. primo.

Aesi nomen erat, patrijs dat Mænibus illud,
Quod tribuit Fluuio, nunc quoque nomen habet.

Atque hic ipse Amnis (Leandro ibidem) Vmbrorũ

initium

initium eſt; Deque eo, alijſq. nonnullis Vmbrię Fluuijs idem Silius lib. 8. Belli Punici.

cauis venientes Montibus Vmbri
Hos Aeſis, Sapiſque lauant, rapidaſque ſonanti
Vertice contorquens Vndas per Saxa Metaurus,
Et lauat ingentem perfundens Flumine ſacro
Clitumnus Taurum; Narque albeſcentibus vndis
In Tybrim properans, Tiniæque inglorius humor.

Quid ergo Aeſium, ſeu Aeſij Fluuius, à quo Aeſij Ciuitas in Picęno, cum Aſſiſij Ciuitate in Vmbria? Profectò nil quoſdam morandum ſcriptores arbitror, qui aut litera admota, vel altera ſubtracta; vel æquiuoco inducti, tam inſigniter labuntur; vt neque Vmbriam proſpectaſſe, ne dum peragraſſe præſeferant.

HActenus de Aſi pro mea parte. De Axi vero, rurſum dicò. Si vim verbi axis in illã peculiarẽ, ac cæteri pro Cliuo referamus ſignificationem; plane ipſius Propertij ſenſui magis congruere, Hiſpellique Cliuum deſignari nemo inficias ibit. Fauet & Iuuenalis, qui eadem vſus voce Satyra quarta ad finem.

Dignus Aricinos, qui mendicaret ad axes.

Axes pro Collibus (inquit Scaliger) ſeu Cliuis editis poſuit; idemq. affirmant Vetus Scholaſtes ad Iuuenalem, & Ioannes Britannicus in Commen-

tario; Nam Ariciæ (quod Opidum ſitum eſt in Cliuo ad Viam Appiam poſt Albanum Montē ad xx. prope ab Vrbe lapidem) Lucus Dianæ fuit celeberrimus, quem Arthemiſium dixere: Quo cum magna Populorum multitudo confluerct; Egeni eo in Cliuo conſidentes ſtipem rogitabant. Cum Britannico, & alijs ſentit & Calderinus, qui Martialem ſimiliter aientē citat

Debet Aricino conuiua recumbere Cliuo.

Nec ſum neſcius Axem vel pro Curru, ſeu rota, & tereti illius ligno, quandoque & pro Cælo accipi; aliaſque habere ſignificationes, vt ex ipſo Propertio, Virgilio, Perſeo, Feſto, & alijs.

NEC quiſquam hæreat negociū ſaceſcere impenſius Propertij vltimum Diſtichon, cum de Patria ſua ad Tullum, videlicet

Proxima ſuppoſito contingens Vmbria Campo.
Me genuit terris fertilis vberibus.

Quo Aſſiſium, ac Peruſiæ magis proximum; non autem Hiſpellum, neq. Meuania, quæ longius, ſignari videatur.

Nam facilis eſt reſponſio; Cum enim multimodis contingens ſit Vmbria Etruſco Agro Peruſino; nimirum quà Tiſernum, quà Tuder, quà Eugu-

bium,

bium, quà Vectonium, quà Vallis Spoletina; Sane verba, proxima contingens, Poeta posuit ad eam Vmbriæ partem, quæ ipsum genuit, demõstrandam; nempe Vallem ipsam habentem suppositum; seu subiectum Campum latissime patentem, ac planum. Hæcque à Propertio dicta est Perusinis Romanorum sepulchris proxima contingens Vmbria, ad Tiferni, Tuderisque, aliorumque extra Vallis Campũ discrimen Agrorũ, qui item Perusinum contingunt.

Idem sentit Germanus Criticus in Paradoxis literarijs proximo anno 1628. Mediolani editis allegata Epist. 13. Et si non ea fine. Nam Meuaniam patriam asserere contendens, minime aduertit Hispellũ Perusino propinquius, inquiens. *Postremi Distici libri primi sensus est: Ego in ea Vmbriæ parte natus sum, quæ contingit loca proxima campo illi, qui Perusiæ est suppositus; quoniam inter Campum illum, & loca patriæ meæ contigua, non nisi Tyberis interest.*

Sed cum plura sint Opida Perusino connexa, & finitima; haud necessarium est consequens Assisium Poetæ patriam: Immo ob id Vectonium dixeris; non solum, quia in Colle è regione Perusiæ; eique Vrbi recta propinquius, altiusque est Assisio (quod alio in Colle à latere ipsi Vectonio opposito) sed etiam quia Vectonij Ager Perusino iungitur.

Cæterum liquet, verba, proxima contingens Vmbria; Campum, tractumq. ipsius Vmbriæ, vt dictum est, præfinire; non autem Assisium, non Vectonium, aliudue peculiare Opidum; Satis enim, superque planum, ac perspicuum est Propertium ne dum, non temerè; sed scienter, ac prudenter patriæ nomen reticere voluisse.

Id ipsum magis produnt, & enunciant generalia, lateque patentia adiecta verba; Fertilis nimirum Vmbria vberibus terris, & Campo supposito; & quidem recte; Nam Campus, Laurentio Valla, Ambrosio, Perotto, & alijs, dicitur grande, atque amplum Terræ planæ spatium. Hunc vero Spoletinæ Vallis Campum latissime ad xxx.millia passuum diffundi; non est argumentis, vel rationibus cōfirmare; Vnde speciatim magis Natalis soli fines Poeta proferens; ora, inquit, tangitur, qua rorat Meuania, Hispellum scilicet conterminum prænuncians.

AMplius, si Assisium, Vectonium, aut Ameriam Poeta suam intellexisset patriam; vtique non Meuaniæ, neq. lacus Vmbri; Sed Tybridis, meo iudicio, ac Opido cuique affinis, & proximioris, celebriorisque apud omnes Fluuij, dubio procul meminisset.

Aliud deinde genitricis Vmbriæ peculiare palam faciens

faciens; ab vbertate Terrarum illa gemina effert commendatione, sic

Me genuit terris fertilis vberibus.

Ne autem de frugifero, fæcundoque Vmbriæ Campo, & præsertim Hispellate ambigi valeat; Quemadmodum scriptorem inficientem perdifficile; sic aientes peruestigare nihil negocij habeo. Quare Sil. Italico, cæterisq. omissis, Strabonem ex antiquis sat sit attulisse. Is lib. 5. Geographiæ disertis verbis; Altera ex parte, inquit, Tuder clara Ciuitas, & Hispellum, & Iterum; prope hoc sane Montis excessus est, vniuersa regio fertilissima est.

ITEM Propertius eamdē Vmbriā, quæ ipsum genuit proprio decorans Epitheto, Antiquam dicta prima quarti dixit

Vmbria te notis Antiqua penatibus edit.

Et recte quidem; Nam Lucij Flori, Dionysij Halicarnassæi, Plinij, veterorūque consensu Auctorum, Vmbriæ Populi omnium antiquissimi enūciantur; Sicut Lipsius lib. 2. Electorum cap. 19. Beroaldus, Passeratius, & alii obseruarunt.

Cæteroqui hic admonendi sumus, præcauendum ab eiusdem Plinii lib. 3. cap. 14. nat. histor. assertione; Vmbriam nempe ab imbre dictam, quod Vmbri omnium Italiæ Populorum antiquissimi

quiſſimi, inundationi Terrarum, imbribuſq. ſuperfuiſſe credãtur. De qua etiã opinione C. Iul. Solinus Polyſtor de Italia, eiuſq. laudibus cap. 8. Gallorum, inquit, veterem propaginem Vmbros eſſe Marcus Antonius aſſeuerat eoſdem, quod tempore Aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint, Vmbros græce nominatos; quod & alij tradiderunt.

At ſententia huiuſmodi Græcis primum adſcripta; Cum de Ogigis in Achaia, aut Deucalionis in Theſſalia Diluuiis (de quibus S. Auguſtinus de Ciuitate Dei lib. 18. cap. 10. in fine. S. Iſidorus lib. 13. Ethimol. cap. vltimo, Euſebius, Iuſtinus, Zenophon, Oroſius, & alii) nequaquã intelligi valeat; Certe ſi de Vniuerſali Diluuio (vt Plinii verba innuunt) intelligatur; manifeſti redarguitur erroris, ac ſacræ Geneſis cap. ſeptimo expreſſe aduerſa. Nam Moyſes Sanctus Propheta, interq. Mundi Scriptores primus (ni verum, vt aliquibus lubet, Triſmegiſtum ante Moſen ſcripſiſſe) hebraice teſtatũ reliquit; quod latine; Quindecim cubitis altior fuit Aqua ſuper Montes, quos operuerat, conſuptaq. eſt omnis caro, quæ mouebatur ſuper Terram; remanſit autem ſolus Noe, & qui cum ipſo erãt in Archa. Vnde Plinii, ac aliorum Ethnicorum opinio, quod Vmbri Terrarum inundationem euaſerint, falſa eſt, & prorſus reiicienda, ac damnanda.

Anti-

Antiquæ vero Vmbriæ rectè Epitheton tribuit Propertius; quia eius Populi omnium antiquissimi, vt supra; non autem vt Vmbriam secernat ab Vmbria, quemadmodum Ciattus existimat, ex eo, quod apud Myrsilum Lesbium sit. Quum etiam quod tradit de Bello Pelasgico Xantus asserit Pelasgos antiquiores Aty aggressos bello Tusciam, quæ quondam Vmbria dicta est, occupasse Crotonem. A victotia enim Vmbrorum id tum fuisse dixerim extra ordinem in aliquod tempus.

Cæterum hac super re M. Portii Catonis auctoritas libro Originum, omnem dimouet suspicionem. Galli, (inquit Cato) omnem Vmbriam pulsis Hetruscis occupauerunt, exceptis Typherno, Esisio, Hispello, Fulgineo, & vetusta Veiorum prole, quam Veilumbriam, idest Veiam prolē ANTIQVAM VMBRIAM dicunt; in quibus principes sunt Spoletum, Tuder, Meuania, & Ameria ferme nongentis annis, & amplius restituta ante Persicū Bellum à Veijs Hetruscis antea condita Duce Ameroe Atlantis Itali ex Pleiona Vxore Filia.

Vnde in hoc præcipue Ciattum fugit ratio (ante dicto eius in Academico Sermone, proximè elapso anno 1628. Perusiæ impresso) quod nobilissimā Vrbem Perusiæ Vmbriam; & Vmbriam Perusiá efficit, & procreat. Quo futili Apophtegmate, scripta eius ruunt, & in nihilum occidunt. Perusiam enim in Etruria citra Tyberim, qui Vmbriam à Tuscia dispertit, quis inficiari valet? vt non solum id pro comperto sit per hęc tēpora

ex peruulgata, & frequenti nuncupatione discretè Perusiæ, & Vmbriæ; sed etiam ipsius Propertii ætate apud antiquos Scriptores. Nè autem multis, misso Strabone lib. 5. & aliis; Titi Liuii; Plinii Senioris, & Horatii auctoritate id planum fecisse sit satis.

Titus Liuius Decad. primæ lib. 9. Itaque à Perusia, & Cortona, & Arretio, quæ ferme Capita Etruriæ Populorum ea tempostate erant: Tum lib. x. Tres validissimæ Etruriæ Capita Volsinij, Perusia, Arretium pacem petiere.

Plinius lib. 3. cap. 5. nat. hist. Sed Tyberis propter aspera, & confragosa, ne sic quidem præterquam trabibus, verius quam ratibus longe meabilis fertur P. C. I. M. D. non procul Tiferno, Perusia, & Otriculo Hetruriam ab Vmbris, ac Sabinis, mox citra xiij. M. Pass. Vrbis Veientem Agrũ à Crustumino dein Fidenate, latinumque à Vaticano dirimens.

Horatius lib. primo ode secunda.

Vidimus Flauum Tyberim retortis
Littore Hetrusco violenter vndis
Ire deiectum Monimenta Regis
Templaq. Vestæ.

Quin & Propertio ipso id tueri, & Ciattum magis reuincere liceat sæpius memoratis versibus ad Tullum:

Si Perusina tibi patriæ sunt nota Sepulchra,
Sit mihi præcipue puluis Etrusca dolor,
Proxima supposito contingens Vmbria Campo
Me genuit. & cæt.

Sed & à me, de Etruscorum Imperio (vt Vmbria

quodam-

quodammodo in Tuſciam verſa, Tuſcia potius dicta ſit, quam è contra) hoc addas licet. Ante Romanos Etruſcorum Imperium adeo Terra, Marique propagatum erat; vt in xij. Populos diſtributi, late à Supero ad inferum Mare non ſolum Vmbriã; ſed Italiam vniuerſam tenuiſſe videantur. Nomina ſunt argumento, inquit, Titus Liuius lib. 5. Quod alterum Tuſcum communi vocabulo gentis; alterum Adriaticum Mare ab Hadria Tuſcorũ Colonia vocauere Italicę gentes; vt vel nemo miretur, cum apud Virgilium de Mantuæ opibus legat, quæ Tuſcorum Caput eſſet, Aeneid. x.

Mantua diues Auis, ſed non genus omnibus vnum
Gens illi triplex populi ſub gente quaterni
Ipſa caput populis Tuſco de ſanguine vires.

Quod aduertiſſe videtur Petrus Nannius lib. 2. Miſcellaneorum cap. 25. & poſt eum Ioſephus Caſtalio in libro Var. lect.

Permirum vero eſt, quam acriter Ciattus verſum, ac Ciattum torqueat verſus identidem dictus

Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota Sepulchra.

Nam Peruſiam Poetæ patriam quam maxime elaborans; quoquomodo, inquit, verſus intelligatur; ſemper planum erit, Propertium patriæ titulo

Perusiam insignire. At rectæ, germanæq. intelligentiæ veritus obiectionem; nempe illud Patriæ (ac totum pro parte) ad Sepulchra eorum Romanorum, qui in Bello Perusino perierunt, & Perusiæ sepulti sunt, vt Beroaldus, & alij assentiuntur; & illud tibi, ad Tullum, ad quem Elegia; esse referenda; videtur in absurdum incidisse Paradoxon; Tullum scilicet, & Vulcatium Consulem, Romanos; Perusinos, & non Perusinos asserere ambigens. Tum pluribus ita deflectit, vt singula perpendere, & refellere pigeat; tricari vero, nè Deus siuerit, mihi nunquam probatum.

Inde commentitij euadunt, noscunturque eius sensus, miratio, & querimonia cur Propertius (ac si nulla alia plane esset ratio) Virgilius, & Silius Perusiæ Vrbis haud meminere; inquiens

Per isfuggire adunq. così infame nota, e danni maggiori, che poteuano auenire; egli (loquitur de Propertio) **con arte particolare ombreggia solo, ma non palesa à pieno il nome, e conditione del Padre, e della Patria; e che per questa sola cagione, e non per altra, tacesse il nome di Perugia, riconoscasi da questo; che Virgilio, e Silio Italico, descriuendo quegli la Guerra Troiana nel Latio; e questi la Cartaginese in tutta Italia, tra le Copie Ausiliarie di Turno, di Massentio, e del Popolo Romano, non mai nomano Perugia, ne le genti Perugine: Mirabil cosa, che ambedue questi celebri Poeti facciano mentione delle Città cōtigue à Perugia, come d'Agobbio, Norscia, Spello, Beuagna, & altre assai minori, e di men nome, e fama, che Perugia; e di Perugia nec nomen quidem** Quæ

Quæ quidem Propertio minus aptari valent; nam Perusina haud memorasset Sepulchra; si Augusto iniucunda fore existimasset; Immo contra vtiq. iudicandum; Quid enim dulcius, quid gloriosius Victoriæ memoria? quæ (vt ipsa est natura) vel insolentem reddit, atq. superbum?

Sane Elegia perspicua est ad Tullum, Propertij genus, ac penates compertos habere auentem: Tũ illi Poeta dolenter, vt diximus, Ciuilia memorans dissidia, ob quæ quam plurimi Romanorum Ciuium Vrbe acti; Luciumque Consulem aduersus Augustum sequuti, obsidione, & fame Perusiæ obstricti, deditione facta (vt Suetonius ex alijs tradit) CCC. ex Senatoribus, & Equitibus, inter quos Propertij Pater, vt Crinito placet, eique assertio huiusmodi tribuitur, eius enim verba in recentioribus Ambr. Calepini dumtaxat Dictionarijs deprehendi (seu alias, & forsitan verius, eo in Bello necatus) ad Aram Iulij Cæs. vt supra dictum est, interfecti dicuntur; ob id Poeta Tullo.

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra
Italiæ duris funera temporibus
Cum Romana suos egit discordia Ciues.

Quod vero Perusia in Etruria, in qua parentis ossa

deſpecta, & inhumata: Poeta perſpicue ſubdit

Sit mihi præcipue puluis Etruſca dolor.
Tu proiecta mei perpeſſa es membra propinqui,
Tu nullo miſeri contegis oſſa ſolo.

Tũ de finitima Vmbria genitrice concludit,

Proxima ſuppoſito contingens Vmbria campo
Me genuit Terris fertilis vberibus.

AT Ciattus aberrans; magiſque animum à vero abducens ſenſu, inquit. E ſe bene il dire Peruſina ſepulchra Peruſiæ, pare vana, & inutile repetitione; Contuttociò dicendo Peruſina ſepulchra patriæ; diuerſifica il Poeta i ſepolchri di Perugia da molti altri; Tum conijciendo ſubiicit.

Hora ſe Propertio viuente Ottauio chiamato ſi foſſe Perugino, & eſpreſſo haueſſe, che il padre fù quegli, che fra 300. fu ſacrificato all'Ara di Ceſare; non era vn publicarſi per reo di leſa Maeſtà?

Quaſi Bellum cum Lucio Antonio Conſule in Propertij tenera ætate Peruſiæ actum, iam tum extinctum reuiuiſceret, vltioque timenda, eti in poſteros; ad legem Iuliam, Maieſtatis tot poſt ſæculis promulgatam.

Vn maniteſtarſi Inimico di Ottauio?

Quaſi Poeta competitor in Imperio, ſimultates cum Auguſto gereret.

Vn farſi monſtrare à dito per infame, per ribelle, per priuo d'honore?

Quaſi

Quaſi ob Bellum notam contraxerint Peruſini; ò rem abſonam, ò abſurdam (gerræ, gerræ iſtæ ſunt. Nonne Octauianus Auguſtus vetuſtiſſimam, ac præclariſſimam Peruſiæ Vrbem, vel Mænibus reſtituit; ſuoque ab feliciſſimo nomine Auguſtam dixit, quo illuſtri titulo illa ſuperbit hactenus? Tum Ciattus ad diuinationem, ac Propertianæ lectionis immutationem perfugiens.

E chi sà (Signori) inquit; che anco parlando dell'Vmbria moderna il Poeta non habbia detto.

Proxima ſuppoſito contingens Vmbria Campo
Me tenuit. & cæt.

oue altri hanno poſto me genuit?

Quaſi alter quiſpiam eam attentauerit deprauationem; ſed omnibus Codicibus longe reuictus eſt.

ITEM CCC. illos vtriuſque Ordinis ad Aram Cęſaris, (Suetonio relatore) necatos, Peruſinos fuiſſe, omni vi contendit, vt Propertium, ac eius parentem, Peruſinos faciat. Sed neque id conſequitur; neque dicti rationem vſquam expedire viſus eſt. Immo ſi Suetonio, ſeu quibus (ſi mòdo & Suetonius pridem) accredamus; Romanos ſine dubio fuiſſe patet. Tum quia nobiliſſimos quoſq. Romanos Senatorii, & Equeſtri Ord. Lucium Antonium Romanum Conſulem ſectari decebat.

Tum

Tum ex ipſo elucet Suetonio, qui in Auguſto ſic. Peruſia capta in plurimos animaduertit, orare veniam, vel excuſare ſe conantibus vna voce occurrens, moriendum eſſe. Scribunt quidā CCC. ex dedititijs electos VTRIVSQVE ORDINIS ad Aram Diuo Iulio extructam Idibus Martijs hoſtiarum more mactatos. Extiterunt, qui traderent conſulto eum ad Arma iſſe, vt occulti aduerſarij, & quos metus magis, quam voluntas contineret, facultate Lucij Antonij Ducis præbita detegerentur; deuictiſq. his, & confiſcatis promiſſa Veteranis præmia ſoluerentur.

Tum ex Dione Nicæo itidem in Auguſto: eius ipſa verba hæc ſunt. Et quamuis LVCIVS cum paucis ſaluus, & incolumis euaſerit; Tamen complures SENATORII ET EQVESTRI ORDINIS perierunt; Fuluia vero cum liberis ad Maritum perfugit.

Tum ex ipſo Propertio in primo dicta Elegia ad Tullum

Cum Romana ſuos egit diſcordia Ciues.

QVæ omnia, certe non de Peruſinis; ſed de Romanis adeo expreſſa, adeo perſpicua ſunt; vt Ciattus non Vmbrorum Ciuiū noſtrorum ſtudium in Propertio vindicando videatur æmulatus; ſed vt viuacis, fertiliſque Ingenij gloriam oſtentaret ad ſcribendum, moxque promendum Academicum Sermonem proſilierit, ſub initium illius inquiens.

I popoli adiacenti procurano à gara, e vogliono à vicenda aggregarlo alla Cittadinanza della patria loro. Quinci Aſſiſi, quindi Beuagna; Spello di là; di quà Amelia, Montefalco da vna parte; Trieui dall'altra; Sino gl'habitatori de lle Sorgenti Vene di Piſcignano contendono fra loro, e quaſi capitaliſſimi

pitalissimi nemici combatono per far Propertio loro Cittadino. Dalle contese de quali io già per gioco mi posi à voler prouare Propertio esser più tosto da Perugia, che altronde; e l'impresa da me, quasi per Scherzo presa; talmente parmi riuscita da douero; che quello, che io già scherzando prouai; hora da Senno affermo. Ne in ciò gl'affetionati di Propertio denno stimarsi offesi; ne io incolpato esser deuo di quanto affermo; poi che

Per la Fè, per la Patria il tutto lice.

Vt vera in eo magis appareat M. Tullij sententia; Nihil esse tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, atque ille Ouidij versus

Rursus Amor Patriæ ratione valentior omni.

Nam si singulorum Poetæ versuum à Ciatto allatorum perpenditur sensus; mirum est, quam belle sententias ad suam pertrahat, deflectatque voluntatem.

SED quoniam CCC. illos ad Aram Iulii cæsos, ex Appiano lib. 5. Bellorum Ciuilium, Perusinos facit, inquiens

Appiano Alessandrino assai diffusamente descriue la Guerra Perugina mossa da Lucioantonio contro Ottauio Augusto, & vltimamente con l'Eccidio di Perugia terminata; oue racconta le 300. misere Vittime esser stati non Soldati auentitij, e forastieri; ma Cittadini Perugini.

Quid Appianus; appingamus. Porro nihil horū in meo Appiano; Ipsa eius verba dicto lib. 5. Bell. Ciuil. per Sigismundum Gelenium latine reddita

in

in Lugdunenſi Impreſſione apud Antoniũ Gryphium Anno Sal. MDLXXXVIII. hæc ſunt.

DEinde ſedẽs pro Tribunali (ſcilicet Cęs. Auguſtus) euocauit Peruſia Luciũ cũ ROMANIS honoratioribus, & deſcẽderunt multi SENATORES, multi ROMANI EQVITES omnes ſqualidi, & ob tam repentinam mutationem miſerabiles; quibus Peruſiam egreſſis, præſidium in Vrbem eam receptum eſt. Vbi vero venerunt; Lucium Cæſar aſſumpſit è cæteris àlios Amici Cæſaris, alios Centuriones inter ſe partiti ſunt; omnes præmoniti, vt haberent eos in honeſta, & latente cuſtodia. PERVSINOS quoq. deprecantes è Mœnibus venire iuſſit, abſque Decurionibus, DONAVITQVE EOS VENIA. Decuriones tunc miſſi in Carcerem, paulo poſt necati ſunt, excepto Lucio Aemilio, qui Romæ ſedens in iudicio, quo poſtulabantur percuſſores Cæſaris, palam atrum tulit calculum, & alijs Auctor fuit; vt idem facerent, expiarentque ſe ab eo ſcelere. Peruſiam ipſam diripiendam militi dare Cæſar ſtatuerat; ſed quidam Oppidanorum non ſatis ſanæ mentis nomine Ceſtius, qui quoniam in Macedonia quondam militauerat, ſe ipſum vocabat Macedonicum, incendit Aedes proprias, & ſe in ignem iniecit; Tum ventis flammam diſſlantibus per totam Peruſiam; cremata ſunt omnia; Fano Vulcani tantum excepto. Hic finis fuit Peruſiæ Vrbis antiquitate inclytæ; Aiunt enim eam è xij. priſcis Etruſcorum Vrbibus fuiſſe poſt recentem eorum aduentum in Italiam conditis. Quamobrem Etruſco more Iunonem colebant. Tunc autem quot quot diuiſerunt inter ſe Vrbis reliquias; Vulcanum vice Iunonis tutelare nomen ſibi optauerunt. Sequenti die Cæſar fœdus inijt cum omnibus Exercitibus; Tamen tumultuari contra quoſdam non deſijt, donec interfecti ſunt, qui erant inimiciſſimi Cæſaris Canutius, C. Flauius, Clodius, Bithynicus, & cæteri. Hunc exitum habuit Peruſina Obſidio, Bellumque geſtum contra Lucium; difficillimum ſane, & quod videbatur diu vexaturum Italiam.

Ne

NE autem alicui P. Candidi versionem flagranti in ea hæsitandi locus sit; ipsam quoque à me nuper conquisitam, subtexendam censui; quæ sic

IPse pro Tribunali sedens, Lucium è Perusia cũ ROMANORVM LEGIONE ad se venire iussit. Venere igitur plurimi è SENATORVM numero, plurimi etiã ex EQVESTRI ORDINE aspectu mæsto, & miserando, vt in subita mutatione persistentes; & cum Perusiam egressi essent, custodia Vrbi apposita est. Accedentibus illis, Cæsar Lucium penes se constituit; Alij alios ex Cæsaris amicis, alios Duces Turmarum suscepere; præmonitos omnes in honore, & insigni custodia futuros esse. PERVSINOS autem è Muris deprecantes sine Senatu exire monuit, VENIENTIBVS quoque INDVLSIT. Senatores custodibus attribui mandauit, qui non multo post interfecti sunt, Lucio Emilio excepto; is Romæ cum iudicium de C. Cæsaris nece haberetur, absolutionem protulit, & vt omnes idem facerent, quasi solutos omni odio suasit. Perusiam Cæsar Militibus prædæ subijcere statuerat; Verum Cestius quidam insolentior (qui prælio gesto in Macedonia Macedonicum se olim appellauerat) domum propriam incendens, se, suaq. iniecit igni; hunc venti insurgentes per Vrbem effudere; sicq. vniuersa Ciuitas consumpta est; Vulcani duntaxat Templum superfuit. Hunc finem Perusia habuit vetustatis gloriam, & dignitatis in se continens; quam ab Tyrrhenijs iam pridem in Italia conditam inter xij. primas Vrbes fuisse memorant, & ob id Iunonem Tyrrheniorum morte in ea coli solitam. Qui reliquias Vrbis ex sorte delegerunt; Vulcanum Deum patrium Iunonis loco statuere. Postridie Cæsar inducias concessit omnibus. Exercitus neutique à tumultu conquieuit, donec nonnulli ex illis NECARENTVR, & erant hi potissimum CAESARIS HOSTES, CANVTIVS scilicet, & CAIVS, cum FLAVIVS, CLODIVSQVE Bithinicus; ALII QVOQ. Et hic finis obsidionis in Perusia fuit; Bellũq. hoc modo dissolutũ est, quod omniũ grauius, ac diuturnius in Italia futurũ timebatur.

Quo ex cõtextu vtriusque Interpretis Historiæ Appiani persacile cuiq. erit de Ciatti sententia iudicium facere; inque eius scripta, ne ego nimius, animaduertere, vel ex eo, quod P. Candidi, sequi maluerit versionem, non autem Sigismundi Gelenij; qui doctiorum hominum sententia, fidelius, exactiusque in Appiano latinitate donando versatus est. Probe ergo Augustus Perusinos absoluit; Romanos vero illos capite damnauit; nã Romani bellum faciebant Romanis.

Quod autem à Ciatto plurimi fieri videantur Epitomæ ad Tit. Liuium adiectæ, Lucioque Floro adscriptæ; vt præcipue doceat omnibus Lucij militibus indultũ; sane apud viros doctos huiusmodi Epitomæ (quia Epitomæ) haud item. Tũ quod 35. Titi Liuij Historiarũ libri patẽt: At vbi reliqui 105. (nã 140. feruntur, inter quos dictus liber 126. qui de Augusto, eiusq. Bello) certe nõ cõpertũ omnibus; vel potius deperditi omnes; Tũ quod fermè multa paucis haud ęque absoluũtur bene: Exẽplo sit ipse liber 126. qui triginta ferè verbis (ac quidam alij eiusdẽ T. Liuij libri vix supra decẽ absoluti verbis) contractus legitur sic

Cæsar cum esset annorum 23. obsessũ in Oppido Perusia L. Antonium, conatumq. aliquoties erumpere, & repulsum; fame coegit in deditionem venire; ipsique, & omnibus quidem Militibus eius ignouit. Perusiam diruit, redacti in potestatem

tem ſuam omnibus diuerſæ partis exercitibus ; Bellum citra vllum ſanguinem confecit.

At quomodo hæc coincidunt cum tanto Auguſti Cæs. prælio, & tot, tantiſque Armatorum irruptionibus, Militũque cæde, vt Appianus, & alij teſtãtur, atq. ipſe Propertius ad Tullũ Romanũ?

Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota ſepulchra,

DEMVM Propertius de Patriæ Muris dicta prima quarti ſic

Scandentes ſi quis cernet de Vallibus arces
Ingenio Muros eſtimet ille meo.

itemque eadem Elegia infra

Scandentiſque axis conſurgit vertice Murus
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Hiſpelli ſcilicet Muros à ſuo prænuncians ingenio clariores. Iure vero eorum commeminit, muroſque dixit, nam lapidei ſunt; proprieq. murus lapideus Vrbis ambitus dicitur; qualis non item Meuaniæ; cuius lateritium fuiſſe, quemadmodum & Arretij teſtatur Plinius lib. 35. cap. 14. Hiſpelli vero Murus ex aptis lapidibus affabre conſtructus ita perbelle aſſurgere videbatur, vt non minus aſpicientibus venuſtati, quam indigenis præſidio exiſteret, & decori Hiſpellatibus. Cuius modica adhuc manere polita veſtigia vi-

dentur ad viam, qua Aſſiſium è regione Templi Sancti Venturæ Confeſſoris Hiſpellatis ex ſacro Ordine Cruciferorum.

In ijs Muris Orlandi, ſeu Rolandi admiranda poplitis menſura inter memorabilia ab exteris referri ſolita hactenus curioſe viſitur; eiuſdemque Orlandi ad antiquam Portam Veneris Hiſpelli, tetrum extare Carcerē ſcripſit nobilis Architectus Sebaſtianus Serlius Bononienſis Antiquitatum lib. 3. Opus Herculi ſecundo Ferrarienſium Duci Anno 1537. primo nuncupatum; eiuſque Portę Veneris pergraphicum Artificium triplici Aditu, duabuſque altis xij. Angulorũ Turribus hinc, & hinc ornatæ, & fulcitæ, poſt admirandum Romanum Amphitheatrum, obſeruandum ſubiecit; deſcripſitq. vt ex antiquitatis dignitate intellexiſſe collibeat. Porrò Orlandũ fama clariſſimum Caroli Magni Imperatoris ex ſorore nepotem Comitem Palatinum Corporis magnitudinis,& incõparabilis virtutis ac fortitudinis virum fuiſſe, & demum in Guaſcorũ prælio poſt multam, & ingentem Hoſtium cædem, cum pleriſque alijs Ducibus cecidiſſe teſtatur Iacobus Philippus in Supplemento Chronicarum ad Annum Domini DCCXCI.

Deſcriptio Antiquæ Portæ Veneris Hiſpelli ex Sebaſt. Serlio lib. 3. Antiquitatum.

SPELLO Città Antica in Terra di Roma hà vna Porta veramente Antica; & è di Opera Dorica, quantumque non vi ſieno Correnti, nè Vani, nè anco Chiodo, nè l'Architraue. Ma per le Colonne, Baſe, e Capitelli; e per la vetuſtà io la giudicai Antica. Ben le due Torri dalle bande ſi poſſono dir moderne quanto à gl'ornamenti di ſopra: Nondimeno le Torri ſopra Terra ſenza quelle Cime potriano eſſer antiche; Ma ſia come eſſer ſi voglia; la Porta è antica: la Pianta della quale è quà ſotto dimonſtrata, & il ſuo dritto ſarà quì à canto. Fù miſurata queſta pianta col piede antico; la terza parte del quale è quì ſotto. Dall'vna à l'altra Torre ſono piedi LXX. e la Porta di mezo è piedi XX. in larghezxa. Ciaſcuna Porta dalle bande è larga piedi X. l'altezze io non le miſurai; ma tolſi l'inuentione ſolamente in diſegno, perche mi piacque. Le Torri, come hò detto, per la bontà de' Muri, e per le due Lumache, che vi ſono molto ben fatte, e vecchiſſime; io vò credendo, che ſieno Antiche. Le Torri ſono per Diametro piedi xxx. E vi è vna Lumaca dentro larga da vii. piedi. A canto queſte Torri nella parte interiore della Città ſono due ſtanze vna per banda, poſſono eſſere de piedi XXV. per longhezza; & in larghezza da piedi xii. le quali ſono congiunte con l'altro Edificio, & hanno le Mura di aſſai buona groſſezza; vna delle quali il Volgo la chiama la Prigione di Orlando.

HOdierna autem die (prò dolor) ne dum Porta Veneris in ſua ſpeciei forma non eſt; Sed adeo à Serlij narratione; & deſignatione aliena ſunt omnia; vt nec triplicis eius Portæ veſtigia agnoſceres. Turres vero ex parte deiectæ, & crematæ ſunt; Sicuti, & alia Antiqua Hiſpelli Aedificia labefactata

labefactata, euersa, extincta visuntur; vt Maurus noster in antedicto Poemate Franciscìados lib. 3. haud minus uerè, quam ornatè, sic

Hic non magna sedent summo incumbentia dorso
Mœnia (Sermonis Romani licentia prisci
Hispellum dixit) sed quem pars dextra supini
Collis opacat Ager Cereri, Flauæque Mineruæ
Nunc bonus; Alta Vrbis late vestigia seruat
Iam dudum euersæ, & congestæ mole ruinas
Occulit infossas Terræ, penitusque sepultas
Conuestit solo viridi, & frondentibus Vmbris;
Hinc ferro inuertit terram, dum fortis Arator
Sæpe Arcus, sæpe Antra caua, immanesq. Columnas,
Strataque Saxa aperit, tumulosque recludit inanes:
Quæ cuncta aspiciens, stupet ille, atque ore dehiscens
Attonito, vocat inuenta ad spectacula fessum
Sæpe viatorem, lætusque ostendit hianti
Obruta seu Templi, seu fundamenta Palati,
Et Circi Moles, & grandia Mausolea
Voce, manuque sonat, late dispersa per Agros.

Quæ quidem obuenere, cum temporum iniuria, & Barbarorum incursionibus; tum proxime Baleonum insigni contumacia, & neglectu; ne dicã Maiorum nostrorum socordia, desidiaque deploranda.

CVM enim Baleonum illustris familia Perusina (Malatestæ nimirum) Hispelli, nonnullorumq. adiacentium Castrorum gubernatione Martini Quinti, & Sixti Quarti Summorum Pontificum munificentia adaucta fuisset; Mox ob Murorũ Hispelli

Hiſpelli validum Propugnaculum, ſtrenuumq. Militem Hiſpellatem intumeſcens; tanta dominatus inſulſitate extulerat animos, vt Leone X. iterumq. Paulo III. perduellionis crimine notata; demum Mænium innoxia faſtigia, Arceſque, & Turres, ad Baleonum, aſſeclarumq. audaciam contudendam Anno MDXXXV. eiuſdem Pauli III. iuſſu, delegato ad id ex Vrbis Dynaſtis Ioanne Baptiſta de Sabellis, deturbatæ fuerint. Quo tempore Hiſpellum eliſum, refractumq. inſigniter denuo agnitum eſt, vt in mea Hiſtoria latius. Quod & Leander in Vmbriæ Deſcriptione, deſpecto quodam modo viſus eſt attigiſſe, plerisque rebus antiquitate, & eruditione ſcitu dignis, quod nonnullis, vt aiunt, inuiſus, haud abſque ſui nota, miſſis.

EOque tum propenſior Mænium demolitio; quo & memoria recentior ſuperatæ Hiſpelli oppugnationis Kalendis Septembris Ann. MDXXIX. aduerſus Cæſareas Caroli V. Copias Generali earum Duce Philiberto Aurantiæ Principe, Malateſtam Baleonum, Hiſpelli ditione exuere, & Peruſia ab eo occupata, Clementi VII. reſtituenda, pellere ſatagente; Nam irrito facto Principis conatu, repulſiſq. militibus, ad pactiones demũ ventum eſt. Quo de prælio ſcripſit Vir clariſſimus

mus Paulus Iouius Episcopus lib. 27. tomo 2. tum Franciscus Guicciardinus, alijq posteriores Historici uix attigere: ut & hic pro Hispellatibus antiquum meum Anagramma non ab re libeat reuocare.

ISPELLVM

PELLIMVS

Spellates pellunt; aduersæ cedite Partes,
En sonat Ispellum Pellimus, Aufugite.

ALIVD DISTICHON

Ispellum fidis; infidis Pellimus: Hospes,
Disce, caue. Cunctis non sonat illud, idem.

ALIVD

Fidus es? Ispellum fidũ: Hostis es? hostibus obstat:
Sic Hospes capias Nomina versa; Vale.

CAETERVM de Hispellatũ Bellicæ virtutis præstantia, fortibusque factis fama late parta, vel Romanæ Reipublicæ tempestate Silius Italicus lib. 4. Belli Punici, breuibus, sic

Tum Romulum, atque olim celeberrima Nomina Bello
Tiburtes Magnos, Hispellatemque, Metaurumque,
Et Damum.

DEnique Hispellum CLVIII. post Annis; ac diuturno quodam postliminio; Gregorio XIII. Pont.

Pont. Max. menſe Septembri Sal. MDLXXXIII Guidone Aſtoris Baleoni (qui pro inuicta Venetorum Regum Republica fortiter in Cypri Regno occubuit) ſtrenui Ducis filio ea ex ſtirpe ſuperſtite vnico in Belgis vita functo, Dei Omnipotentis munere ad Apoſtolicam Sedē remeauit, cuius ſub feliciſſimo Imperio conquieſcit, adaugetur, & lætatur.

SED videamus, quid de antedicto lateritio Meuaniæ Muro Philippus Cluuerus ex Plinio dicto lib. 35. cap. 14. nuper commentus ſibi viſus ſit, ſubijciatque lib. 2. cap. 7. ſuæ Italiæ antiquæ.

Singulare quid, ait, ad eam memorat Plinius lib. 35. cap. 14. In Italia quoq. inquit lateritius Murus Arretij, & Meuaniæ; idem & Propertius Poeta innuere voluit ipſe Meuania oriundus lib. 4. Elegia prima, & lib. primo Elegia. 22.

Tum paulo poſt.

Nam ipſe Propertius ait Meuaniam patriam ſuam ſitam eſſe in cauo campo, & in Campo Peruſinæ Vrbi, quæ in edito Colle eſt ſita, ſuppoſito; vbi de Vallibus Murus ille lateritius cum Arcibus ſuis, ideſt cum Turribns conſurgat in altum, & cæt.

ITaque & Cluuerus in Campo cauo, & Peruſiæ ſuppoſito Meuaniam iacentem profitetur: Dum vero ſcandentem quoque ſtudet aſſerere, abſemet diſſidet, & in Scyllam, vt in adagio, quaſi Charybdim vitare cupiens incidiſſe videtur. Vnde ad Plinium concurrens, apprimèque eum

reputans; quod dictum Murum lateritium dixerit, illum ad id adstruendum admouit. Poeta vero non absolute (vt Cluuerus) in altum, dixit; sed primo arces de Vallibus scandentes; deinde Murum consurgere ad Verticem scandentis axis expressit; Hispelli, scilicet, demonstrans Murũ de Vallibus scandentem ad verticem axis, idest Cliui, seu Collis.

Huiusmodi tamẽ Cluueri sententiæ, nuperus linguæ latinæ Criticus in Paradoxis, Turrim, quam nouè suo conflauit ingenio, Muroq. illi lateritio imposuit, quasi tum de Vallibus prospectasset, maturissime adstipulates est; inquiens. Quis iam relictus est dubitandi locus, quin Meuania sit Propertij patria; illa inquam cuius celsa Turris lateritio Muro imposita, etiam ex longinquo in magna Campi planitie cerni possit.

AT vtriusque opinatio mihi quidem insigniter frigida vide tur; cum ex supradictis; Tum quod Muros altos, excelsos, sublimes, conspicuos, & huiusmodi (si modo Meuauiæ tales extiterint) Poeta vocitasset; non autem scandentes; aliud enim est scandere; aliud altum esse; maxime quod Cluueri, & Critici opinio, seu declaratio; de quouis Opidi Muro, nisi humi iaceat, intelligi potest. Verum cum Patriæ Muros arces Poeta dixerit de Vallibus scandentes; vere, & pro-

prie

prie de Muris Hiſpelli, cuius ſolius eſt de ipſa Valle ad Collis verticem ſcandere, dicendum eſt recte Poetam cecinisse

Scandentes ſi quis cernet de Vallibus arces
Ingenio Muros eſtimet ille meo.

Tum infra

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Quæ quidem Meuaniæ, eiuſuè Muro, nequaquam conuenire poſſe manifeſte patet.

QVapropter & idem Criticus Grammaticus, ac in culpa reuictus, ad lectionis immutationem; quam Ioannes Metellus Sequanus, inquit, in melioris notæ Codicibus, inuenit, perfugiſſe noſcitur; illaque

ScandenTIque ALTVS conſurgit vertice murus.

Sed vbi, & quot, & quales (ſi tamen conſtant) Codices huiuſmodi, ipſe nihil moror, ac bonis omnibus, germaniſq. diſſimiles, & aduerſi. Nec ferendam cenſeo eorum ſciolorum audaciam, aut librariorum impudentiam, inſcitiamue; qui præ corrigendi pruritu quicquid libet, vel libris omnibus inuitis immutant, corrodunt, deprauant.

DE cætero liquet Plinium dicto cap. 14. lib. 35. non alia de caufa Arretij, & Meuaniæ Murum percenfuiffe; quam vt lateritium diceret; Capitulum infcriptum leges. De Parietibus fornaceis, & lateritijs, eorumque ratione; Vt fcilicet, qua ex materia, & quomodo in Africa, Hifpaniaque lateres, & parietes extruantur, demonftraret. Tū lateritios pluris faciens fubdit. Græci præterquam vbi è filice fieri poterat ftructura; parietes lateritios prætulere, funt enim æterni, fi ad perpendiculum fiant. & in fine eiufdem Capit. In Italia quoque lateritius Murus Arretij, & Meuaniæ eft, Romæ non fiunt talia ędificia; quia fefquipedalis paries non plus, quam vnam contignationem tolerat; cautumq. eft, ne communis craffior fiat, nec integerinorum ratio patitur.

Vnde Cluuerus, & Criticus ob id obtinere minime habent. Adeo autē frequens Criticus extollitur, fœdèquè infultat in Iofephum Scaligerum; eumque velut doctior ridet, dedecorat, obterit, quod Ameriam Propertio adftruat; & quod plurima difperfe effutiuerit; vt mirum ea in Scaligerum fcribere quodammodo non fuiffe puditum.

QVONIAM vero in prima Paradoxorum Epiftola, vel Cornicum oculos acriter configere inuentus eft; liceat & in ipfum aduertere.

In hoc genere (inquit Criticus). Tullium noftrum, & Varronem fœde allucinatos video. Tum in fine eius Epiftolæ

ſtolæ (quæ clariſſimo viro Hieronymo Aleandro I. C. Illuſtriſſimo Cardinali Barberino ab Epiſtolis) Sed vereor, inquit, ne iſta nimia iam putes, niſi tanti fuiſſe videbitur erroris Heroas noſtros Tullium, & Varronem reuincere. Vale.

SED equidem mecum, opinor, & ægre hæc tulerit erudítiſſimus, meiq. amãtiſſimus Aleander. Quo autem in genere, qualiſque, & quantus error hic; Criticus ſic

Vt enim Agellius lib. x. cap. primo narrat; Ille (ſcilicet M. T. Cicero) decernere non audebat, vtrum eſſet rectius Pompeio Tertium Conſule, an Tertio Conſule; adeoque ſcripturæ compendio, ſi nempe ſcriberetur TERT. euadere conatus eſt, ne à peritioribus vapularet.

AT næ Germanus Criticus Italorũ laudis, & gloriæ æmulator, inuidus ne dicam; qui perperam M.T.Ciceroni literarum ſplendori ſtudio flagrauit offudere tenebras? Porrò Aul. Gellius dicto lib. x. cap. primo Varronis percenſet ſententiam de Aduerbijs Quarto,& Quartum; Nam Aliud eſt, inquit, Quarto Prætorem fieri, & Quartum: quod quarto locum adſignificat, ac tres ante factos, quartnm tempus, & ter ante factum. Tum quæ Tiro Tullius Ciceronis Libertus in Epiſtola quadam,vt ait,enarratius ſcripſit, cum Pompeius Magnus Aedem Victoriæ dedicaturus foret, exponit. Quæri enim cæptum eſt (inquit Gellius ex Epiſt. Tironis) vtrum Conſul tertio inſcribendum eſſet; an tertium, & rogauit Ciceronem

ceronem Pompeius, vt quod ei rectius videretur, scribi iuberet. Tum Ciceronem iudicare de viris doctis veritum esse, ne quorum opinionem improbasset, ipsos videretur improbasse; Persuasit igitur Pompeio, vt neque Tertium, neq. Tertio scriberetur; sed ad secundum vsq. T. fierent literæ, Tert.

Sed num hæc vera, subdit Aul. Gellius; Id autem quod & Varro, & Tiro dixerunt, in eodem nunc Theatro non est ita scriptum: nam cum multis annis postea scena quæ prociderat, refecta esset, numerus Tertij Consulatus non vti initio prioribus literis Tert. sed tribus tantum lineolis III. incisis significatus est. Vt M. T. Ciceroni Viro incomparabili per iniuriam, dictorum aduerbiorum adscribatur inscitia; & quod in Critico flagitiosius, à peritioribus vapulet. Nam exemplis plurimis vel ipso ab Critico probatis perspicuum est apud M. T. Ciceronem, Tertium, & Tertio nullo loci, vel temporis discrimine adhibito idem adsignificare. Quid igitur Criticus de Cicerone fæde allucinato? Quid Heroë nostrum Tulliũ erroris reuicisse? Quid de peritioribus? Quid item Libertus Tiro, Quid Varro cũ Cicerone? Quin & Varronẽ ipsum eadẽ aduerbia itidẽ pro eodem indifferẽter vsurpasse liquet.

CAEterum quod tanta vi, more suo, liberioris linguæ, vir Criticus Grammaticus de Aduerbijs huiusmodi contendit, vt cæteros Grammatistas faciat; ante ipsum scite docuit Hieronymus Magius Bononiensis lib. 3. Miscellaneorum, seu

Var.

Var. Lect. cap. 9. firmatq. antiquissima Romani lapidis inscriptione. Qua de re & aliquid legisse subdit Magius apud Vallam lib. 3. Elegant. cap. 58. Quod ipse fateor in meo peruestigare non valui hactenus. Cætera cæteris ad ipsum Grammaticum, vt tantus antiquarum literarum condus, & promus postremo haud perperam Metonimia obtegi voluisse videatur.

NOS ad Meuaniam quasi ex diuerticulo reuertamur; hicq. haud inuitus reuoco, Propertij scandentem Patriam Hispellum, non Meuaniã; quam in cauo, & roranti locatam Campo, iam tum ex patrio Hispelli Cliuo ipse Propertius in dies (ac indidem Nostrates vt apud illam) nebulosam prospectauerit, vnde & recte dicta prima quarti dixerit

Qua nebulosa cauo rorat Meuania Campo.

Eamdẽq. deinceps itẽ nebulis offusam cecinit & Silius Ital. quẽ supra citauimus lib. 6. Belli Punici

atq. vbi latis
Proiecta in campis nebulas exhalat inertes,
Et sedet ingentem pascens Meuania Taurum
Dona Ioui.

Quod & Petrus Marsus in Comment. & alij confirmant; idque manifestius fit ex Clitũni, & Tiniæ, aliarumq.

aliarũq. Aquarũ deductionib⁹ Meuaniã, tãquã ad ima cõfluẽtib⁹, Vnde ob earũ redundantiã; olim Vmbrorũ Copias ad Meuaniã fuiſſe (vt memorat Tit. Liuius Decadis primæ lib. 9.) atq. etiã Vitelliũ flagitante Exercitu, magno Senatorũ agmine (vt ſcribit Corn. Tacitus lib. 19. Annalium) Meuaniam inſediſſe; facile probatũ, ſuaſumq. cuique eſſe poſſe credimus.

QVOD ergo Poeta ſemel in ſuis Elegiarum libris Meuaniam, non pro patria, ſed pro patriæ finibus vſurpauerit; recte quidẽ Tullus (quod in Vrbe forſan tum idem ſenſus cæteris) non minus cupidè, quam frequenter Propertium de eius genere, ac penatibus percunctatus, interpellatuſq. eſt; alioquin incaſſum; ne dicam inſipienter tanto rogaſſet ſtudio.

ET quoniam in eodem roranti Meuaniæ Campo ſcriptorum lapſus plurimorum, hoc iam diu luſi Epigramma

EX PROPERTIO, QVOD HISPELLVM EIVS PATRIA.

Patria Callimachi Romani clara Properti
  Vmbria; certa tamen quę Vrbs tulit alta virum?
Hiſpellum ſcandens; ah num Meuania opaca?
  Ergo quà Hiſpelli tangitur ora Soli?

Qua

Qua nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis:
Scandentisque axis consurgit vertice murus
Murus ab ingenio notior ille suo:
Scilicet Hispellum contingens Patria Campo
Supposito, Terris fertilis vberibus.
Si capis haud nebulis capiet Meuania te, nec
Scriptor fallax, aut liuor, amorue tuus.

QVO quidem, ac proxime adiecto Epigrammatibus in meo Commentario De loco Martyrij Sancti FELICIS Episcopi Spellatensis Anno MDCXX. euulgatis, Municipes mei, atque Academici beneuolo quondam animi affectu pro Patriæ dignitate de Propertio vindicando me ad scribendum excitarunt, ac prope dicam compulerunt: Deque eodem S. FELICE, ac Sanctis CARPOPHORO, & ABVNDIO Martyribus HISPELLATIBVS cecinit egregius Poeta Bãdinus Gualfreduccius Pistoriẽsis è Societate IESV in suis sacris Hieromenijs, Romæ euulgatis, sub die x. Decẽbris parte Secũda, fol.440.

QVemadmodum autem Hispelli solum, eo tempore Propertium protulit, quo Vmbria infidelitatis tenebris obducta, impuris, flagitiosisq. Amorum Cantibus se iactabat. Ita orto iam ex

purissima, semperque immaculata Virgine Dei Genitrice MARIA Iustitiæ Sole Christo Domino: Sane eiusdem Dei munere proxime actũ est; idem vt Hispellum alterum gigneret, proferretque Egregium Vatem Franciscum Maurũ Sancti Francisci Seraphicum amorem præcinentem; quo elata Vmbria in dies magis magisq. celebratur, & illustratur; vnde & hoc iàm diù reddidi Epigramma

DE Sex. Aur. Propertio, & Francisco Mauro Poetis Hispellatibus.

Vmbria se se elegis iactat fæcunda Properti,
Cynthia cui Carmen molle sonare dedit.
Nunc mage Francisci libris tumefacta superbit,
Quem sacra Diuinus dicere fecit Amor.
Cynthia iam valeat, resonent pia Carmina Mauri,
Delicias Veneris sit cecinisse satis.
Gaudeat Hispellum, sileat Meuania; iure
Vatem vna Hispellum Patria vtrumq. tulit.

SI quis nũc quærat, quamobrẽ Propertius Hispellũ patriam suam nominatim carmine nõ expresserit. Misso hac in parte Homerum æmulandi consilio, vt præfati sumus: superuacaneum id quidem duxisse putarim ex vnica illa sæpius me-

morata

morata, perſpectaque Hiſpelli è mediæ Vallis Campo ad Axis verticem ſcandendi conditione ſemel atq. iterum haud obſcure ab ipſo demonſtrata. Cum enim illa alteri non inſit Opido in regione; optimo iure Poeta cenſuit, ita ſuam oſtentaſſe patriam; vtquiſquis Hiſpellum non ea hactenus ſpectatum mente, ſeu cominus intueretur; ſeu eminus aſpiceret, continuo illud Propertij Natale ſolum agnoſcere, ac fateri vel inuitus cogeretur.

AD hæc ſubdo; nec Poetæ neceſſe fuiſſe Hiſpellum nominatim eloqui; Tum quod à Iulio Cęſare iá in Coloniá deductũ clarũ ſatis, ac celebre cunctis,ac Romanis exiſtimauerit; Tũ quod ipſa in Vrbe ſuos Elegiarum libros Octauiano Augusto edidit; Qui inſigne illud, & illuſtre Balineũ ad Clitumni Ripam (cuius adhuc veſtigia ad celeberrimam Víam Flaminiam extant) Hiſpellatibus dono dedit; Eoque cum Romani Aduenæ, & Viatores; tum indigenæ, & Conuenæ in ſingulos dies fruerentur, ſatis itidem Hiſpellum notum, Hiſpellateſq. ob eorum munificentiam (quod non modo Balineum, ſed etiam Hoſpitium gratuito præberent) notiores probe reputaſſe, nulli plane dubium, ne dum abſurdum videri poteſt.

NEC est, quod de Hispelli Colonia à Iulio Cęsare Dictatore Perpetuo, ac Primo Romanorum Imperatore deducta ambigi valeat; Testimonio enim sunt antiquæ Marmoreę Inscriptiones, & Scriptores permulti; sicut Higinus, Plinius Senior, Goltzius; Sigonius, Smetius, Stephanus, Ortellius, Merula, Galesinus, Cluuerus, & alij. Quorum Sigonij alteram; Lapidumque alteram sat sit attulisse auctoritatem.

IN Pariete insignis sæcularis,& Collegiatæ Ecclesiæ Sancti Laurentij Hispelli (in qua principem ante me Prioratus Dignitatem obtinuit quondã Frater meus Decius Donnola Prothonotarius Apostolicus, olim Antonij Mariæ munificentissimi Cardinalis Saluiati, vel in Conclaui iterum, atq. iterũ Familiaris intimus; tum pro Sãctissimo D. N. VRBANO OCTAVO BARBERINO PONT. OPT. MAX. eo tempore Cardinale Spoletinorũ ANTISTITE, ac pro Illustrissimo Laurentio Castruccio Patricio Lucense in Episcopatu Successore, Hispelli Vicarius; Dein Ciuitatis Fulgineæ pro præstantissimo, eruditissimoque Viro Porphyrio Feliciano Episcopo, Pauli V. tunc à Secretis, Vicarius Generalis) antiquus lapis, qui & apud Gruterum, & Cluuerum, & alios; sic

Alfius

ALFIVS C. F. LEM. RVF. II. VIR. QVIN.
COL. IVL. HISPELLI ET II. VIR
QVINQ. IN MVNICIPIO SVO CASINI
ALFIVS C.F. LEM. QVADRATVS VI. V.
EQVO PVBLICO IN HONORE AED. EST MORT.
ALFIA C. F. MIMISIA VXSOR.

ET Sigonius lib. 3. de Antiquo Iure Italiæ cap. 4. Postremo opinari nonnihil de ijs Colonijs possumus; quæ Iuliæ nomen tulerunt; vt de Fano, quæ IVLIA FANESTRIS; Sutrio quæ IVLIA Sutrina; HISPELLO, que IVLIA HISPELLA Dertona, quæ IVLIA DERTONA, veterum testimonio lapidum sunt appellatæ, ab eodem esse deductas putemus.

REliquas inscriptiones tanquam ab instituto alienas in Commẽtario de Hispelli antiquitate cõgessi; in eoq. amplius testatus sum; apud me fuisse in Vrbe æreum vetustum Numisma, cum MACRINI Imperatoris effigie; mediæ, vt vocant, magnitudinis, hisce circum literis ex vna

M. OPEL. SEV. MACREINVS AVG.

Altera vero ex parte PANOS (mihi visus est) cũ fistula literis item circum,

COLON. IVL. YSPELLA.

Mihi in Vrbe commodatum à Ludouico Com-

pagno

pagno Romano, qui huiusmodi Numismatib⁹, ac patriæ antiquitatis studiosus innumeris pene est refertus. Cumque à Iulio Cæsare ad Macrinum xxvii. enumerari soleant Imperatores, sanè CCL. circiter annos (vltra nunc non disputo) queis tot Cæsares ætatem agentes Orbi leges præscripsere, certo quidem Hispelli Coloniæ constantia demonstratur; pertinetque ad Annum sal. CCIX. Quo sedente Santo Zepherino PAPA; idem Macrinus Imperator cum Diadumeno filio detestabilis suæ in Christianos, ac domesticos crudelitatis (dictus est enim Macellinus, quod Macelli specie Domus sua cruentaretur), breui Imperij cursu pares luit pœnas.

SVperest nunc de lacus Vmbri, seu ad Clitumnũ Balinei largitione Hispellatibus facta; de qua Plinius Nepos in illius descriptione, quam infra cõportabimus, præclarum profert testimonium.

In superiore parte (ait) nauigare tantum; infra etiam natare concessum: Balineum Hispellates, quibus illum locum Diuus Augustus dono dedit publice præbent, & Hospitium; Nec desunt Villæ, quæ sequutæ Fluminis amænitatem Margini insistunt. & cæt.

Atque hinc conijcere licet, non solum Clitumni Balineum; sed & illi adiacentem tractum Hispellatibus fuisse impertitum. Quod Cæsareæ munificentiæ proprium, ac congruum; Pliniumque

per

per ea verba (illum locum) Balineo addita, intellexiſſe cenſendum eſt. Aſſentit & Cataneus in Commentario ad Plinium, Nam illum locũ, iuxta fontem Clitumni explicat; ſicut Cluuerus, & alij.

VTcumque tamen Auguſti largitio ſe ſe habuerit: Cum Cæcil. Plinius Traiano Imperatore floruerit; quippe magna, & in primis grauis illius apud Cæſarem auctoritas, vt toto lib. x. Epiſtolarum cum Plinij ad Traianum; tum Traiani ad Plinium. Interq. Auguſtum, & Traianum centum circiter effluxerint anni; liquido conſtat, nõ ſolum recentem apud Romanos Balinei memoriam; ſed etiam Hoſpitij, vel Traiani tempore, vigentem conſuetudinem fuiſſe; Quod ipſa Plinij verba, Hiſpellates præbent, ſatis planum faciunt, & demonſtrant.

ITEM ſingulare aliud, quo Hiſpellatum Nomen ex inſigni eorum beneficentia ad Balineum, per idem tempus æque acceptum, ac celebre extiterit, ex Cataneo in eodem Commentario aperte deprehenditur. Nam *Hiſpellates, inquit, ſubminiſtrant impenſam omnibus loturis ibidem gratuito, & pariter gratuito hoſpitantur:* quæ quidẽ validiora fuiſſe ad Poetam in conſilio firmandum, Hiſpellum patriam non exprimendi; nemo non affirmabit.

Hicque

Hicque non ab re libeat Hiſpellum ea virtute antiquo felicius aſſerere; ſi quidem quatuor ornatũ Zenodochijs; in ijs IESV Chriſti D. N. Pauperes in dies excipiuntur; Faſq. mihi amplius eſt teſtari; tantam Hiſpellatibus innatam erga Hoſpites propenſionem; vt non ſolum amice illos recipere, humanitatiſque officijs augere; Verum etiam domeſticis præponere conſueuerint; atque armis, quandoq. pro meritis defendere haud neglexerint. Vnde hic Hiſpelli compertum eſt omnibus, exſternos rem facere, meliuſque fermè agere, quam populares.

Eiuſdem Clitumni Amnis Propertius cum alias; tum initio Eleg. 22. lib. 2. pulchre meminit, ſic ad Cynthiam

Et ſi me inuito diſcedis Cynthia Roma,
Lætor, quod ſine me deuia Rura colis.

Lætatur Poeta eam in Rura ſeceſſiſſe, vbi videt nullos fore ſubſeſſores, inſidiatoreſque pudicitiæ; Tum & ipſe villicari, & oblectari cupiens, ſubdit.

Hæc igitur mihi ſit lepores audacia molles
Suſcipere, & ſtricto figere Auem calamo:
Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.

Quo carmine liquet tam audacter, fidenterq. ſibi

Clitumni Regionẽ asciuisse; vt iure suo, qua venari liberet magis, quauè occupari apud Municipes suos Hispellates minimè hæsitasse videatur.

ET quamuis Propertius Clitumnum modo flumen dicat, vt dicta Eleg. 22. lib. 2.

Qua formosa suo Clitumnus Flumina luco

Modo lacum vt prima quarti

Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis.

Vibius vero Flumen, & fontem; Boccaccius Fluuiũ, fontem, & lacum; Plinius Nepos, & alij fontẽ, Flumen, & Balineum; & Iunius Philargyrius lacum indiscriminatim; pro varia scilicet illius cũ Originis, tum defluentis, tum Balinei ratione, enuncient (Quod Criticus Grammaticus obducta inconsiderantiæ lacus simulatione, futili animaduersione ad Philargyrium præterijsse visus est) Vnus tamen, idemque Clitumnus Amnis est; de quo, & infra latius.

ANTEQVAM autem vltra progrediamur; notandus est ille ipse versus

Et lacus æstiuis intepet Vmber aquis

Perlubet aliquibus, præcipue Meuanatibus, vel Gyraldo teste, legere

Q Et sacer

Et ſacer æſtiuis intepet imber aquis.

Atque ita Ioannem Metellum Sequanum perſcriptum nuper inueniſſe affirmat idem Grammaticus in antedicta Epiſtola 13. in Paradoxis. Sed nihil refert; nam Clitumni Balineum eodẽ Philargyrio perueteri, & erudito interprete, & alijs vt diximus, æque lacus Vmber, ac ſacer imber; ſicut & ſacra Aqua dicta eſt à Poetis, & à Plinio Minore; non ſolum quia flamines, & perlitanda eluebat; ſed etiam quia Fanum Iouis Clitumni ad Balineum aderat, cum compluribus iuxta ſacrarijs; quæ poſtea in vſum Chriſtianum conuerſa ſunt; vt ex eodem Plinio tradit Cluuerus, & infra docebimus.

NEc quemquam mouere habet ſententia eiuſdẽ Grammatici Critici teſtantis ſacrum Imbrem, Meuaniæ Thermas, Fontem Aquæ calidæ Muro incluſum fuiſſe: quarum, inquit, reliquias ſibi viſas affirmat Ioſephus Paulus Meronus; earumque nomen deprauatum, hodie quoq. vſurpari Inuerſato, vel imberſato: Quod certiſſimum eſt (ſubdit Criticus) nullum in vniuerſo illo Campo latiſſime patente lacum inueniri.

Nam per hæc tẽpora non inueniri, valeat; ſed Criticus errore, ſeu antedicta affectata Clitũni lacus inſcitia Hiſpellatibus ab Auguſto donati, manife-

ſte coarguitur. Nè vero à quoquam agnoſceretur, illico ad eiuſdem Clitumni fontis Aquas declinans, gelidiſſimas aſſerit, vt rigor earum inquit (Plinio Minore) etiam Niuibus certet.

Sed ea Plinij verba nota ſunt, & teſtata apud omnes. Scripta tamẽ Critici nõ officiũt; Quoniã ſiue lacus Vmbri Aquæ tũc ĩ æſtu ſtagnãtes ĩtepeſcerẽt ex tẽporis cõditione, vt & ipſe Propertius ſubdit.

Et lacus æſtiuis intepet Vmber aquis.

Siue fons Aquæ calidæ Muro incluſus (vt idem Criticus conijcit) Imbris inſtar deſuper reflueret, nomenque imbris ſacri ei pepererit; etiam ſi quis contra vulgatam legere malit, ſacer imber. Nihilominus Clitumni Balineo recte congruunt omnia, Balineum præbentibus Hiſpellatibus, atque Hoſpitium, vt ex eodem Plinio.

Hinc clarior Beroaldi prolapſio, dum lacum Velinum, Clitumni lacum facit; magiſque itidem, & Ioſephi Scaligeri detegitur erratum (ambo Vmbriæ tractuum haud probe gnari) Lacum Vadimonis Clitumnum aſſeuerantis; longe enim inter ſe differunt Lacus Vadimonis, Lacus Velinus, & Lacus Clitumni; de quibus infra latius.

ITEM aberrat Scaliger; dũ modo inquit, Clitũnus ex lacu Vadimonis egeritur, & ſpecu merſus po-

Q 2 ſtea

ſtea oculis redditur: Modo ipſum lacum Vadimonis in Meuaniæ Campo conſtituens, ait: Igitur hic Meuania eſt porrecta Campi planities, in qua eſt lacus Vadimonis, quem dicit lacum Vmbrum: Modo aſſerit, Ameriam Poetæ patriam deſpectare lacum Vmbrum; qui lacus, inquit, alius non eſt, quam ille Vadimonis, lacus veteribus celebratus: Modo, ait, à Sylua oriri Clitumnum, qui egeſtus à Vadimonis lacu abſorbetur; atque illud putatur eſſe Caput Clitumni. Denique præclare cuncta definiſſe opinatus, animo extra modũ elato ſubſcripſit. **Ego Homo Tranſalpinus Italos homines, atque adeo ipſos Vmbros Patriã Propertij docui.** Sed verum eſt, neminem de ijs, quæ cognita nõ habet exploratò, liquidòque iudicare poſſe. Nos operæ pretiũ exiſtimamus, cuiuſq. lacus ſitum dilucidare, ac demonſtrare.

IGITVR quod ad Velinum lacum attinet, is eſt (vel proximè Volaterrano lib. 6. Leandro, & alijs) qui ab Opido haud procul ab Interamna Ciuitate, vulgo Piedeluco, nunc il Lago di Piedeluco, nomen accepit. Vbi, quod Aquæ ex alto præcipitent, nullo non die apparere Arcum, ſeu Iridem per Solis radios ad hanc vſque ætatem, res ad aſpectum periucunda, recte literis prodidit Plinius lib. 2. cap. 62. nat. hiſt. Et hic ipſe Veli-

nus lacus Naris Amini (à quo Narnia appellata, inquit Tit. Liuius Decadis primæ lib. x.) illabitur, Virg. æn. 7.

Sulphurea Nar albus aqua, Fontèsque Velini.

Quod & Vibius Sequester, & Corn. Tacitus contestatur, ille inquam Tacitus in optimo scribendi genere magis semper obseruandus, atq. admirãdus, cum ad finem lib. 1. Annalium agit de formidabili illa Tybridis impotentiâ Aquarum, & eluuione coercenda; de qua, quoties item Romæ Tybris effluxit (Et quidem haud minus sæpe XL. annis, quibus ipse in Vrbe, tum Sixto V. tum maxime insigniter vidi ipso Die Natalis Domini MDXCVIII. Clemente VIII. Sũmo Pont. Ferraria vix reduce, de quibus eluuionibus eleganter Bandinus Gualfreduccius antedictus in Suorum Variorum Carminum lib. 3. fol. 110. post sacras eiusdem Hieromenias) toties magna quidem sollicitudine, & cura; sed dein nõ aliter actum; ac Senatus (Tacito) censuit; eius dicto lib. primo Annal. ipsa verba sunt.

ACTVM in Senatu ab Aruntio, & Ateio; An ob moderandas Tybridis exundationes verterentur Flumina, & lacus per quos augescit. Auditaque Municipiorum, & Coloniarum legatione, orantibus Florentinis, ne Clanes solito Alueo demotus in Amnem Arnũ transferretur, idq. ipsis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates disseruere, pessum

ituros

ituros fœcundissimos Italiæ Campos, si Amnis Nar (id enim parabatur) in riuos diductus superstagnauisset. Nec Reatini silebant Velinum Lacum, qua in NAREM effunditur, obstrui recusantes; quippe in adiacentia erupturum; optume rebus Mortalium consuluisse naturam; quæ sua ora fluminibus, suos cursus, atque originem, ita fines dederit. Spectandas etiam religiones sociorum, qui sacra, & Lucos, & Aras patrijs Amnibus dicauerint. Quin ipsum Tyberim nolle prorsus accolis Fluuijs orbatum minore gloria fluere. Seu preces Coloniarum, seu difficultas operum, siue superstitio; valuit, vt in sententiam Pisonis concederet, qui nil mutandum censuerat.

VAdimonis vero lacus in Etruria est. De eo Titus Liuius Decadis primæ lib. 9. inquiens. Et ad Vadimonis lacũ Etrusci lege Sacrata coacto Exercitu, & cæt. Plinius lib. 2. cap. 96. & alij: Tum Leander Albertus, & nouissime Phil. Cluuerus lib. 2. cap. 3. Italiæ antiquæ, & ante eum eximius I. C. Antonius Massa Gallesius in suo libello De Origine, & rebus Faliscorum, præfiniere, quem hodie Il Lago di Bassano, Opidum Ameriæ proximum. Ipsa Gallesij verba sunt.

Vadimonis lacus, ad quem Auctore Liuio lib. 9. initiata est Tusca Militia, peruulgato quodam Auctorum errore ignoratum est, ad hanc vsque ætatem, vbi esset, asserente Blondo eum esse, qui in Viterbiense Agro Romam venientibus dextrorsum relinquitur. Atqui ego vno tantum Cæcilij testimonio, atque auctoritate vtrumque falli, & hallucinari, luce clarius ostendam; scribit enim Cæcilius 8. lib. ad Gallum. Exegerat prosocer meus, & cæt.

Quam Epistolam paulo post afferemus.

EX quibus Lacum Velinum, & Lacũ Vadimonis

nullam

nullam inter se, minusque cum Clitumno cohærentiam, immo nec quidem prospectum habere patet. Quod & si manifestum in primis sit nostræ Vmbriæ incolis, eiusque haud inscijs plagarum. Tamen ad Beroaldi, & Scaligeri, & Blondi, & Volaterrani, aliorumque, si quæ sint scripta diluenda; nec nō ad antiquitatis eruditionem, animiq. oblectationem conciliandam; integras Clitumni, & Vadimonis Descriptiones, quas idem Cæcil. Plinius Nouocomentium Decus affabre aptauit, proferemus. Nec quemquā tædere posse eas percurrere putarim; Tū quod naturæ mira resignent; Tum quod Epistolæ Plinij illius sunt, cuius pingue est, ac floridum dicendi genus.

DESCRIPTIO CLITVMNI
ex C. Plin. Cæcil. lib. 8. Epist. 8. ad Romanum.

VIDISTI ne aliquando Clitumnum Fontem? Si non dum, & puto non dum, alioqui narrasses mihi; Vide. Quem ego (pænitet tarditatis) proxime vidi. Modicus Collis assurgit Antiqua Cupresso nemorosus, & opacus; Hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus Venis, sed imparibus; eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus, & vitreus, vt numerare iactas stipes, & relucentes calculos possis. Inde, non loci deuexitate, sed ipsa sui copia, & quasi pondere impellitur. Fons adhuc, & iam amplissimū

Flumen,

Flumen, atque etiam Nauium patiens, quas obuias quoq. & contrario nisu in diuersa tendentes, transmittit, & perfert, adeo validus, vt illa, quà properat, ipse tanquam per solum planum remus, non adiuuetur; idem ægerrime remis, contisque superetur aduersus; iucundum vtrumque per iocum, dum fluitantibus, vt flexerint cursum, laborem ocio, ocium labore variare. Ripæ fraxino multa, multa populo vestiuntur. Quas perspicuus Amnis velut mersas viridi imagine annumerat. Rigor Aquæ certauerit niuibus, nec color cedit. Adiacet Templum priscum, & religiosum. Stat Clitumnus ipse amictus, ornatusque prætexta. Præsens Numen, atque etiam fatidicum indicant sortes. Sparsa sunt circa Sacella complura, totidemque Dei; sua cuique veneratio, suum nomen, quibusdam vero etiam fontes. Nam preter illum, quasi parentem cæterorum, sunt minores capite discreti; sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur. Is terminus sacri, profanique. In superiore parte nauigare tantum, infra etiã natare concessum. BALINEVM HISPELLATES, quibus illũ locũ Diuus AVGVSTVS dono dedit, publice præbent, & Hospitium. Nec desunt Villæ, quæ sequutæ fluminis amœnitatem, margini insistunt. In summa nihil erit, ex quo non capies voluptatem: nam studebis quoque, & leges multa multorum omnibus Columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus Fons ille, Deusque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis, quamquam tu vero, quæ tua humanitas, nulla ridebis. Vale.

DESCRIPTIO LACVS VADIMONIS
ex Cæcil. Plin. eod. lib. 8. Epist. 22.
Ad Gallum.

AD quæ noscenda iter ingredi, transmittere Mare solemus, ea sub oculis posita negligimus, seu quia ita natura cõparatum, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur; seu quod omnium rerum cupido, cum non facilis occasio, seu

quod

quod differimus, tanquam sæpe visuri. quod datur videre, quoties velis cernere. Quacumque de causa permulta in Vrbe nostra, iuxtaque Vrbem non oculis modo, sed ne auribus quidem nouimus: Quæ si tulisset Achaia, Aegyptus, Asia, aliaue quælibet miraculorum ferax, commendatrixque Terra, audita, perlecta, lustrata haberemus; Ipse certe nuper, quod nec audieram ante, nec videram, audiui pariter, & vidi.

Exegerat prosocer meus, vt Amerina Prædia sua inspicerem; Hæc perambulanti mihi ostenditur subiacens LACVS nomine VADIMONIS, simul quedam incredibilia narrantur, perueni ad ipsum. LACVS est in similitudinem iacentis Rotæ, circumscriptus, & vndique æqualis, nullus sinus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cauata, & excisa. Color cæruleo albidior, & pressior sulphure odor, saporque medicatus, vis qua fracta solidantur. Spatium modicum, quod tamen sentiat ventos, & fluctibus intumescat. Nulla in hoc Nauis (Sacer enim) sed innatant Insulæ herbidæ, harundine, & iunco tectæ, quæque alia fæcundior Palus, ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, vel modus, cunctis margo derasus, quia frequenter, vel littori, vel sibi illisę terunt, teruntur que. Par omnibus altitudo, par leuitas, quippe in speciem carinæ humili radice descendunt. Hæc ab omni latere perspicitur, eademque suspensa pariter, & mersa. Interdum iunctæ copulatæque, & continenti similes eunt. Interdum discordantibus ventis digeruntur, nonnunquã destitutæ tranquillitate singulæ fluitant. Sæpe minores maioribus, velut Cymbulæ onerarijs addærescũt. Sæpe inter se maiores, minoresque quasi cursum, certamenque desumunt; rursus omnes in eumdem locum appulsæ, qua steterunt, promouent Terram, & modo hac, modo illac lacum reddunt, auferũtque, ac tum demum, cum medium tenuere, non contrahunt. Constat pecora herbas sequuta, sic in Insulas illas, vt in extremam Ripam procedere solere, nec prius intelligere mobile solum, quàm littori abrepta, quasi illata, & imposita, circumfusum vndique lacum paueant. Mox quo

tulerit ventus egressa, non magis se discendisse sentire, quã senserint ascendisse. Idem lacus in flumen egeritur, quod vbi se paulisper oculis dedit, specu mergitur, alteque conditum meat, ac si quid antequam subduceretur, accepit, seruat, & profert. Hęc tibi scripsi, quia nec minus ignota, quam mihi, nec minus grata credebam. Nam te quoque vt me nihil ęque, ac naturę opera delectant. Vale.

PER hæc vero tempora VADIMONIS LACVS in quo differat, quoue statu maneat, accedit testimonium Gallesij I. C. in antedicto libello de Origine, & rebus Faliscorum.

Ne autem (inquit) legentium animos in re tã clara diutius teneã dubio procul is Vadimonis lacus est, qui in Bassani Opidi Agro non longe à Tyberi, ipsoq. Tyberi intermedio Collibus Amerinis subiectus; cætera quoque ad vnguem Cęcilianę descriptioni conueniunt; excepto quod Insulæ illę, quas etiam Plinius secundus lib. 2. mobiles esse asseruit, interuallo tanti temporis cohęserunt. Quamobrem rotunditate manente, lacus est vndique iunco, & arundine circumseptus: quod etiam in Agro Reatino, ad Cutilias Aquas videmus euenisse, vbi Plinius fuisse, ait, similes Insulas, quæ nunc non existunt. Cæterum lacus sic, de quo loquor, adhuc, quasi sacer, horrorem quemdam indigenis incutit, nec pisces producit; sed tantum Serpentes. Meminit etiam de ipso lacu, & Insulis in eo mobilibus Seneca lib. 3. nat. quest. qui eas natantes Insulas putat ex pumicibus constare. Hæc Gallesius.

Longe igitur perspicuum est, disiunctissima esse, maximeq. diuersa Lacum Velinum; Lacum Vadimonis, & Lacum Clitumni.

MIRVM præterea est, quam facile scriptorum quidam Clitumnum in Etruria ad Faliscos statuentes

tuentes nimio plus allucinantur, quod & Leander monuit, propterea quod Plinius lib. 2. cap. 106. *In Falisco, inquit, Clitumni Amnis Aqua pota candidos boues facit.* Sed aduertendũ nihil Pliniũ de Etruria; & à Falisci æquiuoco opinationem irrepsisse erroneam.

Et quamuis Falisci Populi à Faleria, seu Falerij Ciuitate, quæ Solini testimonio ab Argiuo Falerio condita antequam à Romanis subigerentur, vna ex principibus Etruriæ Ciuitatibus esset, è quibus Magistratus annui lartes, & Lucumones dicti, numero pari ad vniuersam Prouinciam regẽdam mittebantur; de quibus idem Gallesius I. C. in præcitato libello.

Tamen constat Falisci quoq. nomine, Castrum in Vmbria peruetustum prope Trebiam extitisse; eiusq. Opidi rudera haud à Clitumno longule conspici; si & Ciccarello Physico in libellulo de Clitumno cap. 4. credimus: Deque huius Castri Falisci Agro Plinius dicto cap. 106. lib. 2. *In Falisco, inquit, Clitumni Amnis Aqua pota candidos boues facit;* non autem de Faliscis in Etruria; apud quos ne dum Clitumnus, sed nec Fluuius, eiusuè virtutis Fons vsquam inuenitur. Atque huc pertinere videntur Ouidij Carmina de Ponto lib. 4. ad Sext. Pompeium.

R 2 Colla

Colla boues niueos certæ prębere securi,
Quos aluit campis herba falisca suis.

Et rursus item sub initium lib. 1. de Tristibus.

Colla rudes operum prębent ferienda iuuenci,
Quos aluit campis herba falisca suis.

QVOD autem Clitumnus in Vmbria; ne quidem tantulum ambigere est; In ea enim scatet, & fluit, nomenq. ipsum hactenus refert; adeoq. id perspicuum est, vt hæsitare piaculi genus videri possit. Verum enimuero ad dissentiones compescendas; etiam antiquorum testimonijs comprobare placet.

Suetonius in Caligula, cum de eius profectione in Germaniam. Sed, inquit, cum ad visendum nemus, Flumenque Clitumni Meuaniam processisset.

Silius Ital. lib. 4. Belli Punici

Meuanas Varrenus arat, cui diuitis vber
Campi Fulginea, & patulis Clitumnus in aruis
Candentes gelido profundit Flumine Tauros.

Contestantur Vibius Seq., Iunianus, Seruius, Sabellicus, Beroaldus, Boccaccius, Pontanus, Landinus, Leander, Marsus, Rauisius, Passeratius, Cluuerus, Ferrarius, & alij; & ne plunbus, vnus pro cunctis suppetat ipse

Propertius lib. 3. Eleg. 22.

Hic

Hic Anio Tiburte fluis Clitumnus ab Vmbro
Tramite, & ęternum Martius humor aquis.

POrrò & eiuſdem Clitumni Aqua, ſacra dicta eſt à Poetis, vt diximus, non ſolum, quia Templũ ad Ripam Clitumno addictum erat, ex Cæcil. Plin. in antedicta Epiſt. Adiacet Templum priſcum, & Religioſum; ſtat Clitumnus ipſe amictus, ornatuſque, prętexta præſens numen, atq. etiam fatidicum.

Sed etiam quia Greges, Taurique in Romanis Triumphis litandi, ac ſacra facturi eadem abluebãtur; eademq. à Clitumni Amnis regione candidæ ex potu redditæ, petabantur Victimæ. Quod Clitumni peculiare, ac ſingulare inſigne, Cæcil. Plinium in Deſcriptione alioqui accuratiſſimũ, præterijſſe, recte aduertit Cluuerus loco cit. qui & in Triumphis, alijſque lætioribus ſacris, candidas mactari victimas in moribus fuiſſe tradidit: conſtatque

Virg. ſecondo Geórg.

Hinc albi Clitumne Greges, & maxima Taurus,
Victima ſępe tuo perfuſi Flumine ſacro,
Romanos ad Templa Deum duxere triumphos.

Claudian.

Quin & Clitumni ſacras Victoribus vndas
Candida quæ latijs præbent armenta triumphos
Viſere cura fuit.

Stat. lib. 1.

quæ

quæ nunc pauper acerrã
Digna litem ? non si vacuet Meuania Valles,
Seu præstent niueos Clitumna noualia Tauros
Sufficiam.

Sil. Itál. lib. 8.

Et lauat ingentem perfundens flumine sacro
Clitumnus Taurum.

Claudian. item

Non tales Clitumne lauas in gurgite Tauros
Tarpeio referant, quos pia sacra Ioui.

Lucan. lib. 1.

Est qui Tauriferis vbi se Meuania campis
Explicat.

IVuenalis quoque in hanc sentãtiam, Clitumni meminit Satyra xii. Cuius carmina recitat Cluuerus dicto cap. 7. lib. 2. antiquæ Italiæ. Vbi quoniã nonnulla de Hispello, eiusque Balineo, non piget illa excsribere.

At Iuuenalis (inquit) fæminino genere dicitur Opidum Hispellum, verba eius in Satyra xii. hæc sunt.

Si res ampla domi, similisque affectibus esset,
Pinguior HISPELLA traheretur Taurus; & ipsa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba
Læta sed ostendens Clitumni pascua sanguis
Iret, & à grandi Ceruix ferienda ministro
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaq. passi
Nuper, & incolumem sese morantis amaci.

Plinius

Plinius Iunior lib. 8. epist. 8. ad Romanum, qua Clitumni Fontes, & Amnem exactissima oratione describit. Balineum Hispellates, quibus illum locum Diuus Augustus dono dedit, publice præbent, & hospitium. Apud Iuuenalem autem in vulgatis hactenus exemplaribus legitur Hispella, mēdose profecto meo iudicio; quid enim Iuuenalis solus contra omnium reliquorum Auctorum, contraque vulgarem totius Italiæ morem id Opidi nomen sic formauerit? Coloniam fuisse Romanorum Plinius testatur: hinc inscriptio antiqua Hispelli ALFIVS C. F. & cæt. (de qua supra)

Hactenus Cluuerus.

AT nos sua credimus Cluuerum opinione falli, vt in multis. Nam Hispulla (Domitio Calderino, Federico Cerruto Veronen. Exspositoribus, & alijs) nomen est Mulieris præpingui abdomine, ad quam Poetæ Scomma, eadem Satyra 12. itidemq. ante, Satyra vj.

Hispulla tragedo
Gaudet.

SEV verò Hispulla hæc Vxor fuerit Corælij Rufi Romani I.C. & Cæcilij Plinij consanguinea; vt innuit Calderinus, Deque ea idem Cæcil. lib. 1. Epist. 12. & lib. 3. Epist. 3. & lib. 4. Epist. 19. Seu alia quæpiā mulier; ipse libentius MM.SS. consuluissem libros, an Hispulla, Hispella, vel Hispello; sed per meam ab Vrbe profectionem non valui.

CAEterum si consultius sit cogitandum. Cum Greges, & Tauri ad Clitumnum eligerentur, vt

supra

ſupra vidimus; eamdemq. regionem Hiſpellates Auguſti largitione incolerent; cumque Hiſpelli, & Meuaniæ idem ſit Campus contingens; profecto non abſona, neque aliena erit Cluueri animaduerſio, & ſententia, ſi MM. SS. conſentiat eiuſdem Cluueri lectio hæc

Pinguior Hiſpello traheretur Taurus, & ipſa
Mole piger, nec finitima nutritus in herba, & cæt.

ACCEDIT eorum ſuffragium, qui in patrijs Propertij laribus Vectonium (vulgo Bettona) potius fouere ius arbitrantur. Ipſe vero num illud ſolidum, aliquando hæſi. Cum Opidum proximo anno conceſſiſſem, nulla Rumanæ antiquitatis veſtigia in eo recognoui; ſed neque apud Strabonem, neque apud Catonem antiquiorem Scriptorem quidquam de eo Opido memini (& ſi eruditorum quidam de ijs originũ fragmentis iure ambigendum putent, cum tamẽ Aul. Gellius, qui Adriano Cæs. vel circiter ſcripſit, M. Catonis libros originum faciat) vnde ſubſtare tum decreui. Nec Plinium lib. 3. cap. 14. Vettonum, & Vettionenſes memorantem ſufficere duxi; Nam Claudij Imperatoris ætate, qui longe poſt Chriſti Domini Natalem Orbi præfuit, ſcripſiſſe, ex ipſomet Plinio lib. 7. cap. 13. & lib. 3. cap. 42. nat. hiſt. alijſque perſpicuũ

eſt

est Auctoribus; Ne quis autem in æquiuoco nominis (moneo) Alij sunt Vectones; Populi scilicet Lusitaniæ; quorum Regio Vectonia, vulgo, Extremadura; de quibus nuper Phil. Ferrarius.

ET quamuis nonnihil negocij exibere videatur Inscriptio; de qua Cluuerus, cum de Vettonio lib. 2. cap. 7. antiquæ Italiæ, inquiens. Duo circiter millia passuum Tupini, Tyberisq. confluentibus vulgari vocabulo Bettona; id olim erat Vettona Opidum, seu Municipium, qui in varijs Plinij exemplaribus dicto lib. 3. cap. 14. varie corrupti leguntur Vetrionenses, Metionenses, Vettionenses. Tabula Itineraria sic habet. Perusio, Vettona. & Tuder. Ameria 6. Hinc inscriptio antiqua Perusiæ. Patrono Perusinorum Patr. & Curatori R. P. Vettonesium.

TAMEN quid hinc? Num forsan ea inscriptione Rempublicam Vettonensium astruendam, cæterisque antiquitate æqualẽ dixeris? Ego duo adnoto; primum Inscriptionem non integram, & à suo sensu alienam. Alterũ Antonini Pij tempore exculptam. Videre est, quid in hanc sententiam de ipsa Inscriptione censuerit, ac promulgauerit clarissimus Ciuis Perusinus Io. Baptista Laurus Sanctissimi D. N. VRBANI PAPAE VIII. ab intimo cubiculo, sacriq. Collegij S. R. E. Cardinalium à secretis in suarum elegátissimarum Epistolarum Centuria prima Anno 1618. Illustrissimo Cardinali Marcello LANTI dicata Perusiæ impressa Epistola 98. ad Io: Baptistam

ſtam Guazzaronium Tudertinum; qui ſic

VIBIANAM alteram Inſcriptionem pro mea erga ampliſſimos, noſtriq. amantiſſimos Ciues ſtudio iam plus decies excuſſi; planeq. tecum ſentio, qui talium es Iudex acerrimus; & enucleator oculatiſſimus, nullam prorſus erui inde poſſe Vettonenſium Rempublicam: Tantum Caium Vibium Romani Populi Curatorem Iudicem ijſdem datum. Pro deuoto legendum puto defunctum; Sic & in Principem vita functum Elogium fuerit meritiſſimo confectum. Exemplum remitto, vt Iacobo tuo negocium des conſulendi iterũ Peruſiæ lapidem; & cæt.

Tum integram ſubijcit in Epiſtola inſcriptionem; quæ (vt cuiuſque illius ſit iudicium) ita legitur.

Peruſiæ in Aede Sancti Angeli
ad Portam eiuſdem Nominis

C. VIBIO C. F. I. N̄. TRO.
GALLO PROCVLIANO
PATRONO PERVSINORVM
PATRONO ET CVRATORI R. P. VET
TONENSIVM IVDICI DE V. DEC. AEDI
LI PATRONO COLLEGI. CENTON.
VIBIVS VELDVMNIANVS
AVO KARISSIMO DEDIT
DECVRIONIBVS * II. PLEBI. * I.
L. D. D. D.

in

In eodem lapide vetustate attrito, atque corroso, à tergo.

DEDIC. IDIBVS IVL.
IMP. M. AVRELIO ANTONINO
AVG. PIO FEL. I. II.

IGitur & Vectonio posthabito, quod nec antiquitate tanta (id si ita est) præstare censeatur; Hispello causa adiudicanda est; exulque iam diu Propertius factus Patriæ demum venit restituendus, Hispellatibusque de reuocato Ciue cōgratulandum. Cuius viri præstantia tanti semper pensa est à Maioribus, vt præcipuo existimationis gradu habitus, medius inter Catullum, & Tibullum, vt supra memorauimus honoris causa locatus sit. Quod subiecto Epigrammate ad meum Propertianum Codicem iam multis ante annis expressi.

DE PROPERTIO INTER CATVLLVM ET TIBVLLVM LOCATO.

Tres in Amore Duces liber hic habet vnus, Amores
Quisque suos recitat, deliciasque suas.
Si Patriam quæris gaudet Verona Catullo,
PROPERTIO Hispellū, Roma Tibullo elegis,

Seù mauis conferre modos, Venereſuè, iocoſuè
Amares, medio gratia maior ineſt,
Seù mage laudatum faceres, librum aſpice, iure
Maiores medium ſic poſuiſſe feres.

RESTANT, quæ ex Plin. Minore de Paulo Paſſieno elegantioris Poeta ſtyli, Propertij Municipe, & propinquo à nonnullis animaduerſa, & notata ſunt. Sane Cæcilius Plin. non minus honorifice, quàm peramanter duabus Paulum memorat Epiſtolis: quas, quia perbreues, elegantes, & lepidæ, percurrere non grauaberis.

Cæcil. Plin. Voconio Rom. ſuo S.
Lib. 6. Epiſt. 15.

MIRIFICAE rei interfuiſti ne? Ego quidem, ſed mæres. Paſſenius Paulus ſplendidus eques Romanus, & in primis eruditus ſcribit elegos; gentilitiũ hoc illi; eſt enim Municeps Propertij, atque etiam inter maiores ſuos Propertium numerat. Is cum recitaret, ita cæpit dicere: Priſce iubes? Ad hoc Iabolenus Priſcus, aderat enim, vt Paulo amiciſſimus, ego vero non iubeo. Cogita qui riſus hominum, qui ioci; eſt enim Priſcus dubiæ ſanitatis; intereſt tamen officijs, adhibetur conſilijs, atque etiam Ius Ciuile publice reſpondet, quo magis, quod tunc fecit, & ridiculum, & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tum ſollicite recitaturis prouidendum eſt, non ſolum, vt ſint ipſi ſani; verum etiam vt ſanos adhibeant. Vale.

Cæcil. Plinius Seuero suo S.

Lib. 9. Epist. 22.

MAGNA me sollicitudine affecit Passieni Pauli valetudo; & quidem plurimis, iustissimisque de causis. Vir est optimus, nostri amantissimus, honestissimus. Præterea in literis veteres æmulatur, exprimit, reddit. Propertij in primis à quo genus ducit, vera soboles, eoq. simillima illi, in quo ille præcipuus. Si Elegos eius in manum sumpseris, leges opus tersum, molle, iucundum, & plane in Propertij domo scriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, vt in illis illum effingi putes. Si quid in studijs cognatio valet, & huius propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, vt qui verissime; dolet, vt qui impatientissime; laudat, vt qui benignissime, ludit, vt qui facetissime; omnia denique tanquam singula absoluit. Ego pro hoc amico; pro hoc ingenio non minus æger animo, quam corpore ille. Tandem illum, tandem me recipi. Gratulare mihi, gratulare etiam literis ipsis, quæ ex periculo ejus tantum discrimen adierant; quantum ex salute, gloriæ consequentur. Vale.

HAC Cæcilij Plin. auctoritate; si ei fides, vt iure merito habenda; recte quidem Paulus Passienus non modo Propertij æmulator, sed etiam propinquus declaratur. Sed quoniã Passieni, ac aliorum Veterum plurimorum desiderãtur opera; argumentis inhærere, inditijsq. inniti necesse est, multa enim nobis planius quæ delitescunt illucescerent.

Verum enimuero plures de Propertio feruntur Inscriptiones

ſcriptiones; tum vnica de Paulo Paſſieno; quæ in quamcumque Ciuitatem, vel Opidum inferantur; facile inde eos oriundos exiſtimaueris. Sed certe hiſce inſcriptionibus, licet antiquitatē redolere videantur; haud tamen, vbi vbi ſint, plane fidendum; præſertim quod paruis in lapidibus exculptæ, quouis comportari, ac diſponi conſueuerint; quandoque & de induſtria effingi.

PОrro hic Hiſpelli pro comperto eſt, non ſolum inſcriptiones, & ſtatuas; ſed etiam lectioris lapidis ſolidas Columnas ex Porta Veneris, alijsq. antiquis ædificijs exciſas, alio translatas, tranatas, abreptas. Tres tamen Conſulares ſtatuæ grandiores, ad Patriæ dignitatem, & antiquitatem, ornatumq. maioris Portæ Hiſpelli, vulgo di Borgo, à Maioribus locatæ, nunc iam vetuſtate pene exæſæ adhuc viſuntur. Et paucis ante annis altera eiuſdem magnitudinis ſtatua haud longe à Porta Veneris, ſub Vico, il Calzo, prope Domũ Familiæ de Pauluccijs effoſſa, conſpicitur.

SED quid in his cunctamur diutius; potius quæ omnium, quam paucorum Ciuium oculis proſtant, proferamus inſcriptiones. In inſigni volumine Antiquarum inſcriptionũ totius Orbis

Romani

Romani ingenio, & cura Iani Gruteri; tum Iosephi Scaligeri, & Marci Velseri auspicijs editarum; hæ leguntur.

Pag. 825. Nemausi in Gallijs, inscript. numero 9.

D. M.

SECVNDINAE
PRIM. FIL.
S. PROPERTIVS
EPAPHRA VXORI.

Et pag. 952. ROMAE inscript. numero 4.

DIIS MANIBVS
Q. PROPERTIVS SECVNDVS
FECIT SIBI ET
PROPERTIAE TRYPHOSAE
PATRONAE SVAE BENE
MERENTI ET
PROPERTIAE DYNAMAE
LIBERTAE ET CONTVBERNALI
SANCTISSIMAE

Quid

QVid ergo? Galli ne, an Romani sibi plus æquo Propertium vindicantes Romanum facient, vel Gallum? Sed age porro, quot capita, tot sententiæ, & quæ tua est, Amice lector, non imprudens, opto, nec proterua tui sit opinio. Certe Gyraldus in præalleg. Dial. 4. Histor. Græcorum, & Latinorum Poetarum Tomo secundo, alterum fuisse Propertij nomine Poetam testatur, Comicumq. autumat; cuius versus in libro ad Chalcidium: Propertium alium affert Fulgentius (Crinito lib. 3. de Poetis Latinis cap. 48. in fine) An autem illis, idem vt nostro, prænomen, vel agnomen; haud facile puto decerni posse.

SED & doctissimus Passeratius alterius item Propertij M. Tullium, pro Domo, meminisse admonuit; qui Propertij Pater, inquit, forsitan, fuit. M. Tullius in oratione pro Domo sua ad Pontifices, sic. *Nomen Sex. Propertij detulit, accusare alienæ damnationis, scelerisq. socius propter calumniæ metũ non est ausus.* Porro M. T. Ciceronem Reipublicæ tẽpestate L. & vltra Annos ante Christi Domini Natalem floruisse, Eusebio, alijsque Chronistis pernotum est, vt de Propertij Poetæ parẽte, haud improbabile id putandum.

Tum

TVM ex Ciuitate Assisij, & hæ ad manus nostras minusculæ peruenerunt Inscriptiones


T. PROPERTIVS T. F.
GRATVS.

PROPERTII A. SEX. L. TERTII.

C. PROPERTIVS CRESCENS
LIBERT. BENEMERENTI.

C. PROPERTIVS ACCILVS
MINERVAE D. D.

C. PASSENNO C. F. SERGIO
PAVLLO PROPERTIO
BLAESO.



Item

Item ex Ciuitate Ameriæ

DIS MANIBVS

L. AVRELIO PROPER

TIO L. F. AED.

IIII. VIR. ID TTER

QVIN . . . . .

OR. DEDIC. DED.

HS. C. N.

L. DDD.

A. PROPERT.

QVisquis modo Sophos, Criticusuè oculatus acrior Inscriptiones huiusmodi dijudicet, probet, obiectet, sibiq. habeat. Ego verò rogo, cur ad hanc diem eæ proferuntur? Et nec quidem earum alteram in tanto volumine Gruterus retulit, non Scaliger, non Velserus, qui penè omnia lustrauere? Sed neq. Aldus in suis ad Orthographiam copiosis, lectisque Inscriptionibus, neq. Sigonius, neque Cluuerus, neque alij, quod aduerterim, Epigrammatum exscriptores?

Quæro

Quæro item, cui nam Propertio; cedo vnum, Inſcriptiones adſtruxeris? Sed & hoc mihi concedas, licet; haud in his neceſſe conſequens, eiusdem ſcilicet Ciuitatis, ſeu Opidi Inſcriptio, & Perſonæ.

SED heùs tu? quid itidem de Traiani Imperatoris Patria decernes? ROMANI, inquam, IMPERII PRINCIPIS, non homuncij cuiuspiam? Num Hiſpanum Italicum; An Italum Tudertinum dixeris? Porro non conueniunt ſententiæ. Et licet Sex. Aur. Victor in Traiano, & Paulus Diaconus Aquileienſis Hiſtoriarum Romanarum (ſi eius ſunt) lib. x. ex Vrbe Tudertina ſcripſerint, ac Tudertinum item in primis faciat inſignis Honuphrius Panuinus in lib. de Romanis Pontificibus, inquiens, Traianus Imperator natus eſt Tuderti in Vmbria VIII. Idus Nouembris, D. Iunio, M. Silano, & L. Acterio D. F. Antonino COSS. Anno VRBIS DCCCVI. Anno vero Chriſti LIIII. adoptatus à Nerua.

HIſpanum tamen, & Italicæ natum Secundus Lancellottus Peruſinus, & Dominicus Tempeſta (Dione, Euſebio, Eutropio, & alijs propugnant) & ſi ex Val. Martiale nonnihil ambiguitatis ingeri cenſeatur; quod ſcilicet ipſe Martialis Hiſpanus Traiano gratiſſime blanditus, de patria, aut natione ejus Cæſaris nuſquam in ſuis

 libris

libris verbum; vt annotasse videtur Ioannes Frãciscus Argentus à Leonissa in Apologia; quam anno 1627. vernacula linguâ Tuderti edidit. Tanta est vel summis Principibus temporum iniuria; Ad illud Petrarchæ in Capit. Triumphi Temporis.

Vn dubio verno, vn'instabil sereno
E vostra fama, e poca nebbia il rompe,
El gran tempo à gran nomi è gran veneno.
Passan vostri Trionfi, e vostre pompe,
Passan le Signorie, passan i Regni,
Ogni cosa mortal tempo interrompe.

Et illud Ouid. primo Metamor.

Tempus edax verum; tuque inuidiosa Vetustas
Omnia destruitis, vitiataq. dentibus æui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Vt nec quis ambiguam Propertij patriam miretur hactenus.

SI demum de Propertij obitu; scire habes, parũ compertum ex Crinito; sed Roma ipsum tumulauit, si Theatro Vitæ Humanæ deferamus tomo secundo lib. 7. fol. 560. quod correctum in insigni Bibliotheca Illustrissimi, optimiq. Præsulis Io. Baptistæ Coccini Sacræ Supremæ Rotæ Decani iam vidimus, ipsumque Poetam, alterum & XL. annum natum occubuisse traduunt. Crinitus

nitus, Textor & alij.

SI igitur Propertij Cineres in Vrbe; recte & Sepulchri monumentum. Verum quid si hic Hispelli, Trebiæ, Meuaniæ, seu alibi, mox alię de Propertio nanciscantur Inscriptiones; aut eruta, vel effossa monumenta, excisa, aut illata proferantur, diuulgentur?

SED & Passienum Paulũ Cæcil. Plinius splendidum Equitem Romanum affirmat, & in consessu literatorum dilaudat, celebratq. vt in antepositâ Epistola. Romanum item perhibet Textor in Officina tomo primo Capit. de Patria Illustrium Virorum. Præterea non illi idem nomen; quid enim Passienus, seu Passenius Paulus cum C. Passenno in lapide Assisiate?

ITEM moneo. Verba Cæcil. Plinij, est enim Municeps Propertij, non præscribunt necessariò Passienum Paulum Propertij originarium. Nam & si abusiuè, inquit, Vlpianus in l. 1. ff. Ad Municipa. & incol. nunc Municipes dicimus suæ cuiusque Ciuitatis Ciues; tamen Municipē (subdit I.C.) aut natiuitas facit, aut manumissio, aut adoptio; Et proprie quidem Municipes appellantur Muneris participes recepti in Ciuitate, vt munera nobiscum facerent.

Vnde Accursius ibidē glos. septima notat priuilegio Municipē fieri; sicut & Bartholus in eadē l. 1. num. 1. Municipem esse nomen generis.

ITA demum fugatis nonnullorum Scriptorum nebulis; dubias sententiarum varietates dilucidasse sit satis. Et si autem non omnia vsquequaquè ad institutum; Tamen,pro re nata,haud congruum visum est, missa facere. Vt probè apud Petronium Arbitrum legeris,

> Inuenias, quod quisq. velit; non omnibus vnum est
> Quod placet; hic Spinas colligit; ille rosas.

Tum luculenter, ac perspicuè (ni fallor) posthac constare censeo non Assisium, non Ameriam, non Meuaniam, non Vectonium, non Perusiā; sed Hispellium certum Propertij Poetæ solum patrium habendum, atq. iudicandum.

QVOD vero ad Fulginiam, Trebiam, & Montefalchium spectat, aliudue,si quod est Opidum, eo superuacaneum vltra proloqui censeo; quo rationes, & auctoritates pro Hispello ita nostræ suffragantur sententiæ, vt planè euincere existimemus.

SANE Montefalchium, tametsi Blondo, Volaterrano, & Leandro noui nominis Opidum; ferunt tamen veteri Falisci Castro, cuius paulo ante meminimus, diruto; Incolas propinquū Collem petijsse; ibidemq. constitutis laribus habitasse, versa dein, deprauataque Falisci voce in

Falchi

Atq illud apprimè notandum, haud longe à summa Hispelli Porta S. Barbaræ, locum oleis consitum existere, vulgò à Poeta, per antonomasiam, à Propertio adhuc usq tempora nuncupatum.

Falchi. Quod & nuperrimè Achilles Aegidius olim Hiſpelli Medicus Phyſicus ſub initium ſui Poematis Clareidos, ſic

Qua ſacer à læua Clitumnus labitur vndis
Pinguia perfundens Vmbrorum leniter arua
Proxima cærulei donec Tybris oſcula libet,
Eſt locus exigui conſurgens vertice Collis
(Antiquos fama eſt hunc appellaſſe Phaliſcum)
Clementi creſcit cliuo, cui flamine molles
Aſpirant Zephyri, naſcenſque aſpirat Apollo.

Tum paucis interiectis

Omnia ſed quoniam variat mutabile tempus
Patria barbarica mutarunt nomina voce,
Turpato penitus latiæ candore loquelæ,
Hunc Montemfalchum Patres dixere minores,
Forſan prima magis tituli maioris origo
Fertur ab augurio vox deriuata volantum.

CAETERVM ipſum Montifalchi Opidum, Beatæ Claræ Virginis ex Tertio Ordine Sancti Franciſci primum, dein Sancti Auguſtini mirabili corpore iam CCCXX. & vltra annos integro, & incorrupto; inque eius corde Paſſionis Chriſti, Sanctæque Trinitatis myſterijs diuinitus explicatis, ſingulari honoris priuilegio in dies decoratur, & illuſtratur; quin & Vmbria vniuerſa gemina ſemper vtriuſque Claræ claritate clareſcit, clarius, ac Fulginiæ Ciuitas, nouo nuper

nuper addito Venerabilis Serui Dei Ioannis Baptistæ Vitellij Fulginatis fulgore, eius Vitæ Sanctitate præfulget; eloquio optimi Ciuis Francisci Cirocchi enarratæ.

ATQVE hæc de Vmbri Callimachi laribus in præsentia sufficiant. Tu (lector humanissime) peracri tuo, atque æquo iudicio singula expendas, & seligas; & mecum, opinor, decernes, nullũ Propertij Poetæ Patria rectè satis calluisse hactenus. Nos primi hæc congessimus, facilè posthac additamentum dictis, nostrique percõmoda laboris vsurpatio; vnde & posteris prouinciam relinquimus, rogamusq. omnes nostræ huiusmodi Pariphrasis boni consulant laborem, & conatum; Iudiciumque (& si omnibus haud absolutum numeris) non dente inuido, non iurgijs impetant, non obtrectationibus: Nobis, ac cæteris, sententiam dixisse collibitum existimauimus.

RELIQVVM est, vt omnes admoneamus: Quod ad Poetæ Vitam, moresq. attinet; ne dum Nos non probare; quin & planè ipsum, ac mores, vitamq. detestari, & damnare; quippe qui probe sciamus Propertij, ac reliquorũ Ethnicorũ libros (quod obscænas, damnatasq. percenseant voluptates, quibus mæror, vt ait

Plautus

Plautus, & penitentia ſemper comes) ob ſolam elegantiam, puritatemq. ſermonis à ſacri Concilij Tridentini Patribus permitti; quin & omnia noſtra S.Romanæ Eccleſiæ iudicio libēter ſubijcimus. Tum cādidè teſtamur, nō quidē iactatione, aut æmulatione ſeu contentione dicēdi hæc coagmentaſſe (à quo omni Apologetico libello nuncium æquo animo remittimus) ſed vt honeſtiorem locum veritas, quā arbitratio, opinioue obtineat, apud omnes: In hac enim ſcriptione nihil ipſa veritate potius, nihil antiquius iudicauimus: ſic Nobis omnia fortunet Deus Misericors, ac Benignus.

Neque excident, neque occident.

IPSI DEO GRATIAS IMMORTALES; SEMPERQ.

DEO GRATIAS.

DEL SIG. DOTTORE FRANCESCO MARIA DIAMANTI DA SPELLO.

Acad. Quieto

All'Autore.

TV con la penna tua, col tuo valore
Tratt'hai d'oscure nebbie altrui souente
Donando e lode, e vita a l'opre spente
Del tuo FELICE, e nostro Almo Pastore.

Tu col tuo dire à noi quel fior d'Amore
Quasi estinto rauiui, e a l'euidente
Ragion del tuo parlar taccion repente
Beuagna, e Assisi; e cercan'altro honore.

Cerchilo pur Assisi, e ben si vanti
Del Serafin; che da famosa Tomba
Tutti à Dio chiama, e del Ciel rende amanti.

Preggiati SPELLO tu; che in te rimbomba
Francesco il Mauro; e pria Propertio i vanti
Spiegò d'Amore, e ne fu chiara tromba.

Alli Academici Quieti.

DEL SIG.

VERGILIO DONNOLA DE SALVUCCI

Canonico di S. Maria Maggiore di Spello

Academico Quieto.

Alludendo all'Impresa dell'Academia, che è vn ARNIA col motto Operosa quies.

INduſtri Pecchie à cui lo ſtar rinchiuſe
Nel ARNIA vnite aggrada, oue pur ſiete
(Otioſe non già, benche Quiete)
Nobil lauor di fabricar ſempre vſe.

Laſciate i nidi omai, l'opre confuſe,
Tutto il dolce di Pindo oggi ſpargete;
Il DONNOLA s'honori, e dite liete,
Ch'il Ciel benigno ogni virtù gli infuſe.

La cui penna oprò sì, che del Paſtore
Suo FELICE, non ſol ſi gloria SPELLO;
Ma di PROPERTIO; e quindi hà doppio onore.

Siano Trombe i ſuſurri, e al crin di quello
Cinganſi Allori, e Palme; al cui valore
Fia Vittoria, e Trionfo ogni Duello.

L'VMBRIA

CANZONE DEL SIG. PIETRO AVRELII
Canonico di San Lorenzo di Spello.

MIRO, e vagheggio la più nobil parte
De la mia Valle, oue pregiato nasce
Quanto d'ameno, e raro oggi haue il mondo;
Quindi di SPELLO al Colle ognor rinasce
Nouella gioia, che Natura, ed Arte
Gareggiano in ornare il suol fecondo.
Indi caro, e giocondo
Me si offerisce oggetto
A mè sempre diletto,
Oue colmo d'honor pompeggi, ò SPELLO
Di Teatri, e Colossi ampio modello:
Ma, quel, ch'al sommo d'ogni gloria adduce;
In te sorgon Poeti,
E Scrittor, ch'à le tenebre dan luce.

Ecco l'eccelse mura, ecco il mio SPEGLIO,
Che come Genitrice in sen mi porto:
E se fu già da incendi arso, e sepolto;
Con gemino splendor poscia è risorto,
E'l barbaro furor conuerso ha in meglio,
Che però ne gioisce il petto, e il volto.
Quinci ogni bene accolto

Miro

Miro, e specchio sì grato
D'aprichi poggi ornato
Sceuro da i lunghi già grauosi affanni
Conuersi in gaudio dal girar de gli anni.
Godi, godi tranquillo eterna pace
Figlio caro, & amato,
Hor, che l'Inuidia si dilegua, e sface.

Nacque nel vago tuo fiorito Colle
PROPERTIO il Grande, ch'al mio aurato crine
Sparse souente odori Indi, e Sabei
Con sue leggiadre Rime, e peregrine:
Onde famoso, altero andar ne volle,
Da gli huomiui ammirato, e da gli Dei.
E di lui non potei
Già mai dimenticarmi,
Benche sepolto in marmi.
Ma risorge, ch'vn tuo degno d'Alloro
Riga carte d'argento, e penna hà d'oro;
Del ver costante amico, e quindi suole,
Erudito Scrittore
Prouar suoi parti, come Aquila al Sole.

L'VMBRIA son'io, ch'à più felice meta
Ergo al DONNOLA Illustre il pensier saggio,
Nè tema di crudel maligno artiglio;
Prenda la fede mia, prenda, in ostaggio:

scriua

Scriua pur, che PROPERTIO almo Poeta
Solo è di SPELLO antica, eccelso Figlio,
Ond'altri indegno vuol dargliene essiglio.
Ti diede Hispero il nome,
Allor, che vinte, e dome
Hebbe le forze Hibere, e il suol natio,
Ch'ogni strage, ogni duol pose in oblio;
Quì fermo il seggio anch'io;
Già che DONNOLA tuo di Palme adorno
Spande i scritti guerrieri,
Sin doue l'Orto, oue l'Occaso hà il giorno;



Del

DEL MEDESIMO SIG. PIETRO AVRELII DA SPELLO,

Canonico di S. Lorenzo,

DONNOLA voi, ch'al Ciel le vaghe piume,
Qual bianco Cigno, alteramente alzate,
Mentre in sì chiaro stil, saggio narrate,
Oue il nostro PROPERTIO hebbe il suo lume,

Chi volesse lodarui in van presume,
Renderui chiaro a la futura etate,
Se le glorie presenti, e le passate
Sono al vostro valor picciol volume.

Come potrò col mio debol pensiero
Le vostr'orme seguir presso ò lontano,
Che in terra giaccio augel palustre, e roco?

Ben'hò prouato sopra il corso humano
Ergermi dietro al vostro volo altiero,
Ma nuouo Icaro son tremante, e fioco.

PAVLI ANGELI DIAMANTIS CANONICI INSIGNIS
Ecclesiæ S. Laurentij Hispelli
Acad. Quieti.

Propertius de sua Patria.

Quis fuerim iam Roma refert, fertq. vltima tellus
Iam toto & Nomen personat Orbe meum.
Vna inter multas, genitrix mihi terra latebat,
Carminis & nostri stemmata quæq. rapit;
Sustulit ambages omnes sed Donnola: certa
Iam nobis Patria est; quod latet, ille aperit.

FRANCISCI FELICISSIMI A NVCERIA HISPELLI
Seminarij Felicis Præfecti.

Haud verè Assisias, Trebias, Amerinus, & olim
Meuanas SEXTVM Vatem habuere suum:
Hispellum genuit; reuocauit Donnola ad axem
Scandentem patrium; nullus ab eo rapiet.

FRANCISCI CORRADI HISPELLATIS
ad Propertium.

Iam semel Hispello occideras, vbi natus, & altus;
Mox Patria ex vna tractus es in varias,
Redditus es nobis tandem; non missus abibis
Amplius, & dubij non eris ipse soli.

Io. Baptistæ

IO: BAPTISTAE PETRVCCII HISPELLATIS
Seminarij Felicis Alumni
ad Propertium.

Quomodo Meuanas; Trebiasq. Amerinus es idē?
Hispellas cum sis, quomodo & Assisias?
Falleris Hispello haud cessi; ij rapuere; sed vltro
Me proprijs laribus DONNOLA restituit.

SIGISMVNDI PAVLVCCII HISPELLATIS
Acad. Quieti.

Meuanas SEXTI incassùm Cunabula iactat,
Ac sibi frustra ortus arrogat Assisias,
Vmbro quid cum Callimacho Perusina Sepulchra?
Sat ROMAE, ac Patri puluis Etrusca dolor:
Quid longinqua Amerina planis à Vallibus arua?
Campo & contingens Vmbria supposito?
Ah' Genitor, media scandens è Valle, Properti, est
Hispellum; Oppida iam cætera nunc valeant.

AVGVSTINI BERRETTAE HISPELLATIS
Seminarij Felicis Alumni.

Prælia, & Arma procul, Miles valeatq. cruentus,
Extincto redeat Victor ab hoste suo.
Donnola, tu melior Ciuem sine sanguine reddis
Propertum Hispello; sic superasse mage est.

Ad Poetam elegum, haud alio
visum est ostendum metro.

INDEX

A

Aqua

B

Balineum

Dantes

D

E

Error

G

H

L

P

Peruſia

Q

R

S

T

Trime-



Vita



CORRIGE

Pag. 35.	lin. 18.	Parmæ
Pag. 73.	lin. 12.	Ita Lipsius, de quo supra, dele de quo supra
Pag. 88.	lin. 10.	Tres validissimæ adde (Vrbes) Etruriæ.
Pag. 113.	lin. 13.	quodam
Pag. 121.	lin. 2.	aucupari.
Pag. 130.	lin. 22.	hic

Alia leuiora; vnius scilicet literæ imperitè excursæ, accentus, interpunctiones, & huiusmodi; prudentiæ lectoris remittimus.

FINIS.

Imprimatur

Angelus Abbas Felicianus Vicarius Generalis.

Ego Sebaſtianus Petronius Decanus, & Canonicus Cathedralis Eccleſiæ Fulginaten. ex commiſſione Admodũ R. Patris F. Io: Baptiſtæ de Rubeis Ord. Præd. Sãctæ Inquiſitionis Vicarij, haud minore voluntate, quam voluptate perlegi Elegãtem hanc Diſputationem Perilluſtris & admodũ Reu. D. Thaddæi Donnolæ I.C.& Prioris Inſignis Collegiatæ Ecc.S.Laurentij Hiſpellatis, de Patria Propertij Poetæ; & cum nihil quod Sanctæ Fidei, aut bonis moribus repugnet in ea deprehenderim; cenſeo fore omnibus gratam, ac iucundam ſi imprimatur. Fulginiæ hac die 4. Septembris 1629.

Idem Sebaſtianus qui ſupra manu propria.

Imprimatur

Fr. Io: Baptiſta de Rubeis Vicarius Sancti Officij Ord. Præd.



